




MUSEI
KIRKERIANI

IN

ROMANO SOC. JESU COLLEGIO

ÆREA

NOTIS ILLUSTRATA

TOMUS I.



ROMÆ MDCCLXIII.

EX TYPOGRAPHIA JOHANNIS ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dominicus Jordanus Archiepiſcopus Nicomediæ Viceſgerens.

ADPROBATIO.

QUod jamdiu Eruditis omnibus in votis erat, ut nempe Kirkeriani Muſei copioſa naturalium, artificialium, & tum maximè antiquarum rerum ſupellectile refertiſſimi hiſtoria conſcriberetur, bono literariæ Reipublicæ fato nunc tandem actum conſpicimus. Narratio in plures libros diſpertita a veterum æreorum monimentorum deſcriptione initium ſumit eruditiſſimis adnotationibus, quaſi perpetuo Commentario locupletata. Quas quidem Lucubrationes mandante Rm̃o P. Thoma Auguſtino Ricchinio S. P. A. Magiſtro cum attentè perlegerim, nihilque in eis offenderim, quod Catholicæ Religioni, aut morum caſtitati adverſetur, eas publico Literatorum commodo typis vulgandas cenſeo.

Dat. Idib. Februar. Anno 1763.

Antonius Baldanus CLEMENTIS XIII. *P. M. ab intimo Cubiculo, & Sacræ Congregationis Aquarum Secretarius.*

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter. Ord. Præd.

LECTORI BENEVOLO.



VÆ in Veterum monumentis notari tamquam præcipua Antiquitatis genera ſolent, Forma, Epigraphæ, Signa, Anaglypha, & Figuræ graphio cælatæ, ea omnia complexum animadvertes Vas æreum, quod ſuperioribus menſibus in octo tabulas diſpertitum edidimus. Huic tam præclaro operi, in quo & Macolniæ pietas in Patrem elucet, & Argonautarum in Bebryciam appulſus deſcribitur, Pateras adjecimus; habent enim quiddam cum eo commune, quòd hæ quoque ſcalptæ graphio ſint, & æquè ac Vas ipſum, licet Romæ perfectum, ad Etruſcorum potius artificium, & mores, quàm Latinorum accedere videantur. Neque verò, etſi ob id ipſum Etruſcas vocari eas videam, rectènè an ſecus ita appellentur, ac proinde Etruriænè accenſendæ ſint, an veteri Latio, quæram hoc loco; longam enim hæc controverſia diſputationem requireret: dicam potius, quod omnes fatentur, magnum earum uſum apud utrumque populum

in sacris fuisse; defundebatur enim ex iis, ut opinor, super aram victimarum sanguis, aut alius pro sacrificiorum diversitate liquor, modicâ nihilominus copiâ; planæ enim, ut plurimum, erant, & labro aut nullo, aut parum extanti. Quod ad thus attinet; quamvis ejus granum primoribus suspensum dexteræ digitis, ut ab Anaglypho hujus Musei docemur, injici in ignem aliquando consueverit; plerumque tamen demissum e pateris fuisse verosimilius mihi est: Mystas enim video & in hoc Museo, & alibi bene multos pateram dexterâ, non thuris granum tenentes, suprà quam ex acerrâ Camillus apponere cochleari thus potuit; ut copiosius adoleretur. Ac pateræ quidem, quas hi præ manibus habent, sine manubrio sunt; cum pleræque fermè omnes reliquæ eo non careant; quod aut unà conflatum cum paterâ est, & in animalis alicujus caput desinit, non tamen ex eo ut plurimum genere, quod immolari consueverat, aut quiddam ex eâ prodit clavi instar, in quem manubrium induceretur. Mirum videri id potest, præsertim cùm in Anaglypho superius relato adstet thuris granum attollenti Camillus, qui pateram demissam tenet non sine manubrio eidem utique tradendam Sacris operaturo. Jam verò pateræ ut plurimum æreæ fuerunt; est tamen quædam apud nos testudinea Clusii in Etruriâ reperta: sunt & fictiles sed formâ, palæ instar, oblongâ, & elatioribus utrinque labris. Ex æreis multæ simplices, paucæ verò cælatæ. Harum argumenta petita fermè omnia sunt aut a Græcorum fabulis, aut a rebus Trojanis; nullum, quod viderim, a Romanorum Historiâ; quare cùm Etruscis quædam characteribus inscriptæ etiam sint,

& vesti-

& veſtitus, calcei, aliaque hujuſmodi cum Etruſcorum moribus planè conſentiant, non immeritò videntur illi populo tribuendæ. Pleraque ex his, quæ hactenus diximus, agnoſcere per te ipſum, amice Lector, poteris in hoc opere, quemadmodum & paterarum ad oras artificium ei ſimillimum, quo architecti noſtrates ornare coronides ſolent, & vaſa, ſeu pelves argenteas opifices. Quoniam de paterarum fide, quod dubites, nihil eſt; aut Muſeum adi; erunt fortaſſe non pauca, quæ in explicationibus, notiſque noſtris tibi minus arrideant; moderatius tamen hæc feres, ſi memineris de rebus obſcuriſſimis a nobis agi; nec pro tuâ humanitate inſectandos eos eſse arbitrabere, qui labore ſuo aliquid utilitatis publicè conantur afferre. Si quid peccatum a Typographis fuerit, ut in Vaſis commentario, in quem Pomponiæ Familiæ nomen irrepſit loco Calpurniæ, ubi de nummo ſermo eſt, in quo Numæ Regis, & Pompi, Calpique patris, a quibus hæ familiæ fluxerunt, caput oſtenditur, mirari non debes; facilius enim eſt diem ſine nube, quàm librum ſine mendo reperiri.

TABULA I.



Trusci, ut putamus, operis monumentum hoc est (1), cujus *Ichnographia* *Tab. I.* exhibetur, non multis ab hinc annis repertum, ubi *vetus Præneste* olim fuit. Fueritne hæc *Urna* ad *Dindii Macolnii* cineres servandos, an potius genus quoddam *Ædiculæ* (2), quam post Apotheosim (3) ei filia constituerit, Eruditorum judicio relinquimus; quos tamen monemus, intrà hujusmodi Vas pateram æream (4) fuisse inventam, & aliquot acerræ ligneæ reliquias, pedes nimirum, manubrium, & æreæ lamellæ partem, quâ tegebatur. Altitudo Vasis *palm. Rom.* 2.1½ est; diameter *palm. Rom.* 1.7½

Ornatus duos, qui fasciis item duabus inclusi Vas ambiunt superius, inferiusque, ad dexterum ejus latus apposuimus. Ex

(1) *Romæ* elaboratum Vas fuisse patet ex *epigraphe*, quam damus *Tab. II.*; *Etrusci* verò operis esse tum characteres ipsi videntur innuere, qui licet *Latini* sint, non parvam habent cum Etruscis affinitatem, tum *icones Faunorum*, & *Dindii Macolnii Tab. II. & III.*, quæ cum Etruscorum artibus, & institutis valde consentiunt. Multa præterea id ipsum evincunt, si, quæ in hoc monumento sunt, cum iis conferantur, quæ habemus apud *Dempsterum* in *Etruria Regali*, & apud *Gorium* in *Museo Etrusco*.

(2) Mortuorum reliquias *urnis* condere mos fuit non *fictilibus* tantùm, aut *marmoreis*, sed æreis quoque, atque aliquando etiam *aureis*. *Virgil. Æneid. 6.*

Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.

Homerus, ut de *Romanorum Imperatoribus* taceam, *Iliad.* 23. de *Patroclo* loquens:

Κλαίοντες δ' ἑταίροιο ἐνηέος ὀςεα λευκὰ
Α'λλεγον ἐς χρυσέην φιάλην &c.
Flentes autem socii pii ossa alba
Collegerunt in auream phialam &c.

Eadem ferme habet *Iliad. lib.* 24. ubi agit de *Hectoris* funere.

(3) Genus quoddam *Apotheseos Privatorum* etiam fuisse apud *Veteres* liquet ex *Cicerone*, qui de *Tulliolæ* filiæ, quæ obierat, memoriâ immortalitati consecrandâ tam sollicitè agit cum *Attico*. *Fanum*, inquit, *fieri volo, id mihi erui non potest, sepulcri similitudinem effugere*. Duo docemur hoc loco; alterum in umbratili hac *Apotheosi* erectas fuisse *Privatis Ædiculas*; alterum, aliquam cum his sepulcra similitudinem habere potuisse. *Ædes* quidem *Romæ* videmus aliquot, æquè ac sepulcra, formâ rotundâ. Aut igitur vitanda *Ciceroni* hæc fuit in *Fano* faciendo, ut sepulcri similitudinem effugeret, aut aliquid addendum, ut alterum ab altero secerneret. Id cavit, opinor, *Macolnia*, quæ in *Patris memoriâ dedicandâ*, præter aliquod ædificium, quod verisimile est erexisse, *Vas* istiusmodi *rotundum* ei statuit; sed ita, ut intus repositis Sacrificiorum instrumentis, *Cistæ* instar *Mysticæ*, non *sepulcri* similitudinem in eo, sed potius *Ædiculæ* secuta videretur.

(4) *Pateram* hanc scriptam dabimus *Tab. IX.*, eâdem fermè characterum formâ, quæ in *epigraphe*, & *eodem argumento*; nisi quod, in hac *Pollucis* cum *Amyco* pugnæ apparatus, ac veluti initium describitur, in Vase pugnæ exitus, & *Pollucis* victoria.

Ex tribus Vaſis pedibus, quòd eâdem omnes formâ ſunt, unum exhibemus. Hujus *Anaglyphum* (5) Adoleſcentem oſtendit tamquam in bivio inter *Voluptatis Genium*, & *Herculem*, quorum uterque eum ad ſe videtur allicere.

Statuæ tres, quæ ſummo in Vaſe ſunt, unà cum duplici ad earum pedes *epigraphe; Venatio* aprorum, cervorumque, quam Vaſis operculum refert; *Argonautarum* ad *Bebryciam* appulſus, ibique *Pollucis* de *Amyco* in cæſtuum certamine relata victoria, quæ duo Vaſis ambitus continet, reliquis *ſeptem Tabulis* (6) deſcribentur, magnitudine, & formâ in omnibus, quæ hactenus propoſuimus, accuratè, diligenterque ſervatâ.

(5) *Xenophon in Cirop.*, *Herculi*, ait, adoleſcenti *Voluptatem*, & *Virtutem* olim adſtitiſſe, ut adhuc incertum, & tamquam in bivio ad ſuas quæque partes traduceret. In hoc *anaglypho Virtutem Hercules* repræſentat; in *Adoleſcente* verò, quem *Hercules*, & *Voluptatis Genius* videntur alloqui, idem fortaſſe latet *Macolnius*, quòd virtuti ſtuduiſſet ita cultus a Filiâ. Adnotatu prætereà dignum cenſemus *integumentum*, quo *Adoleſcens* in hoc *toreumate* operitur, palliis noſtratibus ſimile, quod, fibulæ loco, *orbiculus* lævæ ejus parti aſſutus, & per dexterum foramen trajectus ante ſummum pectus adſtringit. In gemmâ annulari hujus Muſei *Paſtor* ſcalptus eſt capellam mulgens tali indutus palliolo.

(6) De reliquis agemus ſuo loco. Hic tantum addimus; *Vrnas* hujuſmodi *æreas* non ita raras fuiſſe apud *Veteres*, ex eo poſſe præſertim colligi, quòd trium præterea, aut quatuor aliarum pedes ſervantur in hoc Muſeo; ex quibus, cum tres eâdem, ut colligitur, formâ *Genios* exhibeant face inversâ, quemadmodum in ſepulcris ſculpi conſueverat, dubitandum non arbitror, quin ex his *Vrnis* aliquæ ad cineres ſervandos adhiberentur. Tres præterea videmus Urnarum hujus generis fuiſſe pedes, & quidem eodem omnes argumento. Patet ex eorum numero, qui ſunt apud nos; præcipuè ex tribus, huic, de quo loquimur, magnitudine fermè pari, in quibus *Neptunus Laomedontem*, quod pactam pro *Trojæ* muris mercedem non ſolveret, immiſſis e mari monſtris perſequitur. Tres item, eodem exemplo, in hoc Vaſe ſunt, ſed duo minus arte perfecti, ut appareat hunc, quem oculis ſubjicimus, ex adverſo fuiſſe, & magis conſpicuum.



Arca. T. I

Ignat Benedetti Sculp.

TABULA II.



SEu res ipſa ſpectetur, ſeu forma, elegantioribus Antiquitatis monumentis meritò adnumeranda eſt trium hujuſmodi Signorum complexio [1]. Hæc brachiis invicem conſertis, ſocietatis inter ſe indicium, & benevolentiæ præbere tantùm videntur; ineſſe tamen quiddam, quod ad *Religionem* pertineat [2], facilè intelliget, qui animadverterit, eorum Signorum, quæ Medii latus utrimque tegunt, alterum *ſitulam*, alterum *cornu* [3] tenere; quæ duo in Veterum Sacrificiis adhiberi conſueviſſe nemo ignorat. *Faunos* eſſe ea Signa ſuadent ſubruſtica oris lineamenta, capillus hirſutus, ferinæ aures, & cauda,

(1) *Syntheſes* Signorum huic affines aliæ duæ ſunt in hoc *Muſeo*; ſtant enim in utrâque brachiis æquè implicitis, manibuſque humero viciſſim impoſitis Signa duo Mas, & Fœmina, nudis tamen corporibus, nudis quoque in alterâ pedibus, in alterâ *Etruſco* more calceatis; in hac tamen poſtremâ nihil tam adnotandum arbitramur, quàm fœminam *ſubligari* præcinctam. Pertinuiſſe utramque ad id Urnarum genus, de quo ſermo eſt, & manubrii inſtar fuiſſe, cum adimendum operculum eſſet, quo Urna tegebatur, pro certo habemus: hærent enim hæc Signa oblongæ lamellæ in ſuperiori Urnæ parte, quæ amoveri a reliquâ facilè poteſt. Jam verò cum in his duabus *Syntheſibus*, quæ publici juris fient alio tempore, nulla ſint *ſacrorum*, & *Religionis* indicia, contra quàm in eâ factum videamus, quam exhibemus *Tab.* hac *II.*, judicium Lectoris eſto, utrum accenſendæ omnes ſint cinerum cuſtodiæ, an de poſtremâ hac aliquid ſentiendum, quod impertitum *Macolnio* honorem ſignificet divino propiorem.

(2) In urnis *Etruſcorum* fictilibus ſtantia mortuorum Simulacra vidiſſe me numquam memini, ſed aut prorſus jacentia, aut in cubitum leniter erecta. Æreum apud nos Signum eſt hominis preſſo cubito aſſurgentis, quod *Etruſcum* videtur. Eſt & aliud marmoreum in ſepulcri operculo, quod *Romanum* putamus. Hanc conſuetudinem antiquitus apud *Romanos* etiam invaluiſſe cognoſci ex eo poteſt, quòd uterque hic ſimulacrorum poſitus in ſepulcris frequens fuit in Italiâ ſuperioribus ſæculis, ut patet ſacras ædes adeuntibus. Unde verò erecta quoque in iiſdem ſigna ſtatuendi mos fluxerit, incertum arbitror; mira enim hujuſmodi monumentorum paucitas eſt: quare id unum verè dici poteſt, multa in his Urnis eſſe, quæ ad *Etruſcorum* mores, & diſciplinam accedunt, ex quibus de hoc quoque more fieri judicium poſſit; hanc verò, de quâ loquimur, in agro *Præneſtino* inventam fuiſſe, nimirum in *Latio*, & ibidem aliarum etiam fortaſſe reliquias, quas ſuperius recenſuimus; alibi enim, quod ſciam, non reperiuntur.

(3) *Situlam*, quam alter ex *Faunis* manu tenet, vetuſtate corruptam reſtituimus ex antiquo noſtro ſymplegmate æreo *Camilli*, & *Popæ* vaſculum eâdem omninò formâ geſtantis pro aquâ luſtrali in ſacrificiis utique adhibendâ. *Cornu*, quod alter gerit, fuiſſe genus quoddam poculi, quo *Pocillatores* utebantur, nemo ignorat. Eſt in hoc *Muſeo* æreum Vas hujuſmodi ſanè perelegans capite taurino, cervice verò tribus figuris cælatâ, *Ruſtici* facem præferentis, *Sponſæ*, & *Pronubæ*. Fuiſſe verò etiam in ſacrificiis adhibitum documento eſt, ut cætera taceam, *Satyrus* in hoc *Muſeo* marmori inſculptus, qui cornu æquè ſimplex, ac illud eſt, quod in hac *Tab.* præfertur a *Fauno*, in aram ardentem invergit, perinde ac ſi lac, aut vinum in prunas defunderet.

cauda, pellis demum ſilveſtris, &, quod magis peculiare eſt, ſtellulis quaquaverſum diſtincta. Qui medius inter Faunos eſt, adducimur, ut credamus, *Dindium* eſſe *Macolnium* tùm ex *coronâ gemmatâ*, *bullâque* (4) ante pectus demiſsâ, tùm ex *veſte prætextâ*, & *ſtellulis* item inſpersâ; quæ omnia cadunt optimè in principem apud ſuos virum, cujuſmodi par eſt *Macolnium* fuiſſe. Sed ambigendi locum, qui demum ille ſit, tollit, *epigraphe*, DINDIA MACOLNIA FILEA DEDIT; quem enim alium ſuſpicari eum eſſe poſſumus, aut cui potius honorem hunc deferre *Dindiam*, quàm patri maluiſſe? Quæ hactenus diximus, hilaris præterea *Macolnii* vultus, erectuſque efficiunt fortaſſe, ne, cum hoc monumentum cernimus, de ſepulcro cogitemus, ſed relatum potius inter *Semideos* a Filiâ Patrem, cujus aſſeclas, & Sacrorum miniſtros *Faunos* eſſe voluerit. Verùm de his malo aliorum judicium eſſe, quàm noſtrum.

(4) *Plinius lib.* 33. *c.* 1. ait; *A Tarquinio Priſco omnium primo* (fuit hic *Romanorum Rex* quinctus a *Romulo*) *filium, cum in prætextæ annis occidiſſet hoſtem, bullâ aureâ donatum conſtat*. Idem ſcribit *Macrobius* 1. *Saturnal. c.* 6.; addit tamen aliquos putaſſe, *Hoſtum Hoſtilium*, quòd primus omnium natus ex *Herſiliâ* fuiſſet, unâ ex *Sabinis*, quæ raptæ fuerant, bullâ aureâ, prætextâque honeſtatum a *Romulo*. Hæc appendix non cohæret cum *Plinio*, qui factum id a *Tarquinio* tàm affirmatè tradit, neque cum ipſo *Macrobio*, cujus hæc verba ſunt in eodem cap.; *Tullus Hoſtilius Rex Romanorum Tertius debellatis Etruſcis ſellam curulem, lictoreſque, & togam pictam, atque prætextam, quæ inſignia Magiſtratuum Etruſcorum erant, primus, ut Romæ haberentur, inſtituit*. Quomodo igitur fieri potuit, ut *Hoſtus* prætextâ donaretur a *Romulo*, quæ nondum *Romam* ex *Etruriâ* fuerat invecta? Idem dicimus de bullâ aureâ; aut enim *Tullus*, cum inſignia *Magiſtratuum Etruſcorum* in Urbem inferret, bullam quoque, quæ ex *Macrobio* geſtamen erat triumphantium, in Romanos mores induxit, aut potius *Tarquinius Priſcus*, qui patre ortus *Tarquiniis* nato Etruſcorum inſtituta optimè noverat, ac proinde filium, quòd annos natus XIV. hoſtem viciſſet, hujuſmodi præmio, ut idem ait *Macrob.*, virilitatis, & honoris ornandum cenſuit? Certè *Perſius* geſtandæ *bullæ* morem *Etruſcis* refert acceptum, cum quorumdam ſuperbiam caſtigans ait.

Quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruſcum puero ſi contigit aurum?

Mos enim jamdiu invaluerat, ab ipſo nimirum *Tarquinio* inſtitutus, ut pueri nobiles *bullam auream* geſtarent ad ann. XIV., plebii verò *bullam ſcorteam*, vel *ſignum de paupere loro*, ut ait *Juvenalis*. Alterutrius hujus generis exemplum eſt Signum adoleſcentis æreum *Peruſiæ*, quod refertur a *Dempſtero in Etruriâ Regali*, femore characteribus *Etruſcis* inſcripto, cui pendet ante pectus *bulla*. Quod ait *Macrob.* cap. eod.; *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus adnecterent*; quæ horum verborum vis ſit, ignorare me apertè fateor. Sunt in hoc *Muſeo Protomæ* marmoreæ duæ, altera *Neronis*, altera ignoti adoleſcentis, utraque *bullata*. Vidi alibi bullas item marmoreas, unam præterea, aut alteram auream; ex hoc tamen numero nullam inveni, quæ orbiculata non eſſet, & prorſus ſimplex, cujuſmodi eſt ea *Macolnii*. Quod ſi ea verba intelligenda ita ſunt, ut non cælaturam aliquam, ſed quidpiam *bullæ* adjectum, ab eâ tamen ſeparatum, ſignificent, quod cordis ſimilitudinem referret, ne his quidem *Amuletis* caret hoc *Muſeum*; ſed ea poſteriorum temporum videntur eſſe, & quæ non faciant ad rem, de quâ agitur.



Area. T. I. Ignat. Benedetti Sculp.

TABULA III.



Inus commodè de hoc *Symplegmate* judicaretur, si non, ad anticam ejus partem, posticæ quoque conspectus accederet; ex hac enim cum *Macolnii* diadema (1), vestis (2), calceique (3) manifestius apparent, tum *Faunorum* species, & forma, quos equinam potius similitudinem, quàm

(1) *Fasciam candidam* capiti præcinctam insigne olim Regum fuisse, nemo est, cui compertum non sit; quare malè audiit apud *Romanos Pompejus*, quòd *vittâ cretatâ* crus obligasset; cum dicerent, diadema illud esse, parum autem referre, quâ parte corporis gestaretur. In nummo argenteo *Familiæ Pomponiæ* cælatus *Numa* est fasciâ redimitus, sed simplici, & solo ipsius nomine insigni; ex quo suspicor non aliud fuisse *Regum* etiam *Romanorum* insigne. Adhiberi deinde non ad victoriæ tantùm indicium, sed ad potestatis etiam ostentationem cæpta laurus est; etsi ab ipso *Romani* Principatus exordio aureâ quoque coronâ identidem ornatos Imperatores nummi nobis exhibent; sed exolescente paulatim lauro, atque ipsis etiam coronis aureis reditum est ad *Fascias* post *Constantinum Magnum*, præsertim in *Oriente*, easque non simplices, sed duplici fermè gemmarum ordine distinctas, ut patet ex nummis. Cum igitur postrema hæc tempora tanto intervallo *Macolnius* præcesserit, diadematis verò ita gemmati, quo is ornatur, vestigium in ultimâ antiquitate nullum apud Romanos appareat, quod quidem noverim, Lectoris erit animadvertere, horumne morem agnoscat in hoc *Macolnii* ornatu, an peregrinum.

(2) Signum est apud nos æreum, & quidem *Etruscum*, ut conjici ex indiciis potest, inscriptum prætereà secundum femur characteribus *Latinis*, iisque omninò similibus, qui leguntur in Vasis hujus *epigraphe*. Quod verò ad rem nostram facit hoc loco, vestis in eo eadem est ac in Signo *Macolnii*; simplex nimirum, & sine tunicâ, eodemque prorsus flexu. Medium videtur quiddam hæc esse inter *Togam*, & *Pallium*, huic tamen multò propior, quam *Togæ*, quòd non supernè injecta defluat ad pedes, ut, cum *Toga* induebatur, fieri consueverat, sed infrà dexterum brachium circumducta Signorum obvolvatur corporibus. *Vide Ferrarium de re Vestiariâ*. Quod si quis malit *Togam* eam esse ex antiquissimo illo genere, cum adstrictior adhibebatur, & sine ullis fermè sinibus, ut tradit *Quintilianus*, ita verò opinetur, quod *Prætexta* etiam hæc sit, & *stellulis* distincta, ac proinde *pictæ* quoque *Togæ* similitudinem referat, ego quidem non repugnaverim; tantùm petam, utrum pelliti quoque hi *Fauni*, quòd hujusmodi ornamento non careant, *Togis* amicti, & quidem triumphantium more *pictis* dicendi videantur. Genus hoc *Togæ Romani* ab *Etruscis* acceperunt, ut *Dionysius* testatur, *Florus*, & alii multi. *Picta* dicebatur, quod figuris, sive ornatu quodam aureo, qui tamen cujusmodi esset ab Antiquis non proditur, sive intexto, sive acu picto esset insignis. *Stellis* usos fuisse *Etruscos* indicio sunt cùm tria hæc Signa, tum figura muliebris in vase fictili hujus *Musei*, præcipuè verò *Patera* ibidem ærea *Tab. XIV.* characteribus *Etruscis* inscripta, in quâ stellatâ veste conspicua *Minerva* est. Ex *Latinis* unus, quod sciam, *Scipio Africanus* in triumpho, quem egit *Romæ* devictâ *Carthagine*, Togam adhibuit, *aureis*, ut ait *Appianus* 1. *Lybic.*, *stellis distinctam*.


(3) De Veterum calceamentis ita loquitur *A. Gellius l.* 13. *c.* 20. *Omnia fermè, quibus plantarum calces tantùm infimè teguntur, cætera propè nuda, & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixere*. His igitur accensendi calcei non sunt, quos videmus in hoc *Macolnii* Signo; totos enim pedes tegunt. At ne *peronibus* quidem, qui, etsi totum pedem ambirent, constabant tamen ex crudo corio, ad aliquam fortasse eorum similitudinem, quos *Campani*, *Marsique* rustici etiam nùnc adhibent. Quis autem putet calceis hujusmodi, quibus uti viatores, & milites per glaciem, & imbres consueverant, nobilem inter suos adolescentem dehonestari voluisse? Quid ergo, *mulleos* dicemus? Nam duo hæc præcipua calceorum genera apud Scriptores reperimus. Multò certè minus; hi enim ad medium fermè crus pertingebant, quemadmodum nostrates cothurni *Tragici*, vel, ut ait *Scaliger*, *Turcici*. Cùm *Macolniani* ita ad tibiam non assurgant, ut ligulâ, ubi adstringuntur, exiguâ supra calcem rejecta decrescant infra talos, & deprimantur lunatis utrimque curvaturis, quæ deinde paulatim assurgunt modicè fastigiatæ supra calcaneum, & ita inter se coeunt, formâ profectò calceamentis non absimili, quibus instructi remeant ad nos aliquando *Itali* ab *Afrorum* captivitate liberati. Quòd itaque *Macolniani* hi calcei humiles sint, ac depressi, ita verò calcem tegant, ut non modicam ejus partem nudam relinquam, aliquid habere videntur commune cum *Soleis*, ac proinde ad earum fortasse genus referri posse,

quàm caprinam referre nemo negaverit, qui præter capillos, & aures, de quibus dictum est, eos equorum instar caudatos aspexerit(4). Maximè verò *Epigraphem*(5) oportuit esse conspicuam, quæ alioqui jaceret abdita in aversâ lamellæ parte, nec legi facilè possèt.

quas Veteres, ut idem ait *Gellius*, nonnumquam voce *Græca crepidulas*, deinde etiam *Gallicas* appellarunt. Ceterum hujus formæ calceos nusquam deprehendimus. In nostro hoc *Museo* duo præterea alia Signa, quæ artificii *Etrusci* habentur, calceata hoc modo sunt.

(4) *Faunos* & *Satyros* apud *Etruscos* non ex *caprinâ* dumtaxat naturâ, sed ex *equinâ* etiam præter humanam constitisse documento est Signum aliud æreum hujus *Musei Faunis* hisce simillimum, nisi quod humana in eo crura sunt, in ungulam verò desinunt equinam, & solidam. Congruit cum hoc Signo altera apud nos *Satyri* figura pateræ inscripta *Tab. XI.*, quæ tamen præter ungulam, pedes etiam equinos habet, & coxas. Semiferos id genus *Græci Centauros* vocaverunt; apud *Pelium* autem montem primùm conspectos ajunt, quòd primos omnium *Thessalos* ex equis pugnare glorientur, itaque, quod oculorum ludibrium esse solet, ut propter cursus velocitatem equus, sessorque in unum coaluisse videantur, id factum re verâ putaverunt: in quo cùm levitatis arguendi sunt, tum inanis etiam jactantiæ; quale enim est, ut omnium primi equis uti ad pugnam *Thessali* ceperint, cum tantò prius de equo *S. Job* dixerit; *Procul odoratur bellum, & dicit, vah*. Erat igitur jam tum equorum usus in bello. Sin ita accipiendum id est, ut finitimos tantùm populos *Thessali* hoc invento præierint, nimis magni hæc gloriola æstimata a *Græcis* est, qui eam tam insigni commento posterorum memoriæ consignatam voluerunt. Ceterum, vel ab *Arcadibus*, vel a *Pelasgis*, qui *Thessali* dicti olim sunt *Strabone* teste, invecta hæc monstra sunt in *Etruriam*; si tamen superstitio ipsa, quæ tàm latè percrebuerat, non movit etiam *Etruscos*, ut agrestes homines, quibus olim occurrissent in silvis, sive pecuarii hi essent, sive equarii, mali alicujus metu, aut spectris etiam perterriti colerent, & tamquam *semideos* venerarentur.

(5) Ex Filiæ nomine, quod in *Epigraphe* legitur, *Dindium Macolnium* more *Romano* patrem appellavimus. Indigena ne *Latinus* hic esset, an advena, quoniam *Præneste* refossum Vas hoc fuit, incertum est. Equidem advenam arbitror, principe tamen apud suos loco natum; quod utrumque colligi ex gemmatâ coronâ potest, quæ apud *Latinos* in usu non erat, & ex *bullâ aureâ*, quæ anno XVII. suspendi Laribus consueverat. Aliunde igitur petendus hic *bullæ* ætate etiam maturâ gestandæ ritus, & genus *Macolnii*, atque, ut putamus, ex *Etruriâ*: videri enim simile veri non potest, *Novium Plautium*, qui vas *Romæ* hoc perfecit, *Etruscum* morem tam multis in rebus secuturum fuisse, nisi *Macolnii* generi, patriæque gratificari voluisset. Quod ad *epigraphen* pertinet, id dici vere potest, vetustissimam esse; in eâ enim cùm Vas ipsum inducitur loquens, quod magnæ antiquitatis indicium esse ait *Cl. March. Scipio Maffejus*, ejusque dialectus congruit cum inscriptione *Columnæ Rostratæ*, quæ posita *C. Duillio* fuit primo *bello Punico*, tùm iis perscripta literis est, ut aliquot eædem fermè sint ac *Etruscæ*, aliæ ita conformatæ, ut ad eas proximè accedant. Verùm quid sentiendum de hac *Epigraphe* sit, malo *Cl. Muratorii* verbis, quàm nostris intelligi, qui de eâ ita loquitur in *Inscript. Thes. Tom. I. pag.* 132. *Ceterum, miram antiquitatem forma literarum prodit, ita ut, nisi heic occurreret* Romai fecid *pro* fecit, *quisquam pro inscriptione Etruscâ accipere hanc potuisset*. Ut autem ostendam, quàm facilè præstantissimi etiam viri fallantur, cum in hoc genere aliorum testimoniis niti coguntur, conferat Lector, quæ de hoc Vase narret hic auctor, cum his tabulis, quas præ oculis habet. Primum NAVIOS legit non NOVIOS; deinde fatetur, *Vas hoc sacris fuisse addictum*; postremò ait, *Tripode innititur, quem efformant tres Fauni Vas ipsum amplectentes. Suprà operculum stat mulier seminuda* &c.



Ærea. T.I.

Ign Benedetti sculp.

TABULA IV.



Res partes ſunt, quibus conſtat hoc Vaſis operculum; lamella, cui inſiſtunt tria Signa, & in quâ ſcalpta *Epigraphe* eſt; altera huic ſubjecta latior, & rotunda non ſine eleganti ad oram extremam ornatu [1]; tertia, quæ totum Vas tegit, ac proinde operculum ipſum eſt, eodem, quo ſuperior, ornatu circumſcripta. Mediam prior interſecat, quæ quàm lata ſit, & longa, ſpatium indicat, quod album relinquitur inter *Leonem*, & *Gryphem* [2] viriculo utrinque deſcriptos; ſejungi enim altera ab alterâ poteſt, & utraque a tertiâ. Adnotandum id cenſui, ne quem forte offenderet ſpatium illud vacuum, quo operis argumentum in mediâ videtur intercipi, & ut oſtenderem, quo conſilio artifex tot lamellas, alteram alteri ſuperpoſuerit: nam cum tria Signa conjuncta in ſummo Vaſe ſtatuiſſet, quæ manubrii loco eſſent, ſi quis operculum vellet adimere, veritus ne iis inter attollendum avulſis reliquum prolaberetur, e ſingulis Signorum pedibus ærea additamen-


(1) Conſtat hic mediæ lamellæ ornatus oblongis quibuſdam intrà duas lineas globulis, qui ovorum, aut nucum juglandium inſtar tamquam e cortice ex anticâ parte diſſecto prodeuntes infernè aliquantulum complanantur; ſupernè verò, ubi cortex ſinuatur, locum tribus lineolis utrinque præbent in ſagittæ figuram diſpoſitis. Ornatus alter in operculi margine paulum differt ab hoc. Plurimus ejus uſus eſt hoc tempore in vaſis, præſertim argenteis, apud lautos homines, & elegantes: quem quidem miror *Græcis* acceptum referri ab aliquibus, cum tantò priùs quàm *Græcia* caperetur, ex quo tempore *Græcanicæ* artes in *Latium* invectæ ſunt, ab *Etruſcis* videant, & *Romanis* adhibitum.

(2) *Gryphes*, ajunt, corpore quidem leoni, alis verò, & capite aquilis ſimillimos eſſe, equis autem maximè infenſos. De his *Plinius l.* 10. *c.* 49. *Pegaſos equino capite volucres, & Gryphes auritos aduncitate roſtri fabuloſos reor; illos in Scythiâ, hos in Æthiopiâ. Et lib.* 33. *cap.* 4. *Aurum invenitur in noſtro orbe, ut omittamus Indicum, atque a formicis, & Gryphibus apud Scythas erutum.* Arcani aliquid latere in hâc *Leonis* pugnâ cum *Gryphe* quiſpiam fortaſſe ſuſpicabitur, æquè ac in Vaſis hujus *anaglypho*, ubi a feræ pede *rana* proteritur. Ego verò arbitror multa hujuſmodi accipienda ſimplicius eſſe, nec præter id, quod oſtendunt, quidquam cogitandum ulterius.

tamenta extare quædam, clavorum inſtar, voluit variâ formâ, & alia alio ordine, & verſu diſpoſita, quibus per tres has laminas, atque adeo per quartam, quam idem artifex operculo interius ſuppegit, apto loco traductis, Signa totidem veluti repagulis fulta conſiſterent, & pondus ſuſtinerent. Addam hoc loco; Lectorem mirari non oportere, ſi operculum in tabulas non æquales partiti ſumus; id enim fieri neceſſe fuit, ne diviſio in ipſas figuras incurreret, & argumenti ſeriem turbaret. Jam verò ut ad rem veniam; occurrit ſtatim *Tabulam* intuenti *Leonis*, & *Gryphis* certamen in pugnam procurrentium pro bovino capite, quod poſitum in medio eſt. Sequitur *venatio* (3) per totam operculi aream circumducta non modico venatorum (4), & ſilveſtrium ferarum apparatu; quæ tamen delectare magis ſpectantem poſſit, quàm rei ipſius, quemadmodum actu ipſo agitur, veritatem oſtendere.

(3) Quod, quæ labore conſequimur, & induſtriâ, gratiora nobis accidant, quàm quæ obvia ſunt, & in promptu, idcircò venatione tantoperè capimur univerſi. Nihil itaque eâ ubique uſitatius, nihil antiquius; cum *Eſau* filium jam tum venari juſſum ab *Iſaac* legamus, ut ipſi pulmentum pararet. Neque verò cum apris tantùm, & damis congredi Veteres conſueverunt, ſed cum immaniſſimis etiam belluis, quod patet ex principum *Romanorum nummis*, ut ad animi remiſſionem virtutis quoque laus adjungeretur.

(4) In Veterum *nummis*, & *anaglyphis* ſæpe nobis occurrunt viri principes imperatorio cultu ex equo contrà feras pugnantes. Eodem ornatu in *Tab.* hac unum ex venatoribus aſpicimus, ſed peditem, breviori etiam clamyde, eâque præcinctâ, nec ſuper humerum, ut mos erat, ſed ante ſummum pectus adſtrictâ. *Macolnium* hunc eſſe arbitror; nam præter ætatem congruunt ea dignitatis inſignia, quæ in ejus ſimulacro animadvertimus *Tab. II.*, cum his, quæ hoc loco adnotamus; præſertim cum iterum ſpectandus nobis ille ſit *Tab. VII.*, ac proinde videatur eum filia in tribus præcipuè hujus Urnæ partibus celebrare voluiſſe. Nec calcei abhorrent a *Macolnii* dignitate; hi totum ejus calcem ita tegunt, ut ad medium prope crus cothurnorum inſtar aſſurgant; *mulleos* verò eos dictos a Veteribus fuiſſe habemus ex *Titimio* in *Setina*; *Jam cum mulleis te oſtendiſti, quos tibiatim calceas*; id eſt, ut *Scaliger* interpretatur, *ad mediam tibiam*: iiſdem uſos primùm *Reges Albanorum*, deinde etiam *Patricios*, aut qui *Curulem Magiſtratum* cepiſſent, teſtantur *Feſtus*, & *Scaliger*.



Ærea. T. I. Ign. Benedetti Sculp.

TABULA V.



Terum nobis occurrunt *Gryps*, & *Leo* inter ſe ita pugnaturi, ut nihil arcani ſubſit in hac pugnâ; nec enim arbitror, quod conceſſum artificibus noſtris eſt, ut ex ingenio multa confingant, id negatum antiquis fuiſſe; ut, inquam, nihil ſit, quò referri dimicatio hæc debeat bis ob oculos poſita. Illud ambigi certè non poteſt, *Gryphes* apud veteres habitos eſſe maximè idoneos, qui ad ornatum adhiberentur; ſculptos ſæpe videmus in cippis ſepulcrorum marmoreis, pictos etiam in parietinarum tectoriis, ex quo genere apud nos eſt fragmentum trium fermè palmorum longitudine, quod ita ferè diſpoſitos, conformatoſque *Gryphes* refert, ut in Vaticanis Pontificiarum Ædium porticibus picti a *Raphaele Urbinate* ſunt. Quin & in veterum Sacrorum monumentis eorum uſus fuit; in æde enim *Pantheon* ad januæ latera marmoreæ inter *paraſtatas* viſuntur laminæ, in quibus *Gryphes* candelabrum utrinque ambiunt. Adeo horum animalium biformis natura accomodata veteribus viſa eſt ad ornatus varietatem, & oculorum delectationem.

In alterâ hac venationis parte æquè ac in primâ nudi fermè omnes ſunt, ut mihi videatur, familiarius cum feris bellum gerere, quàm earum natura patiatur; unum enim dumtaxat video (1) tunicâ indutum prætextâ,


(1) Soleatus hic unus ex omnibus eſt. Frequentiſſimus *ſolearum* uſus apud *Romanos* fuit tàm viros, quàm mulieres. Hæ infernè tantùm calcem tegebant, teretibus habenis ſuperius adſtrictæ.

textâ, ſuccinctâque, qui falcem manu tenet, unàque canem, ne in feras proſiliat. Ceteri palliolo utuntur, quo aut e tranſverſo in ſummum brachium rejecto, aut infrà cubitum convoluto, & in mappam lævâ collecto incurſantes feras perterrefacientes avertant, ut facilius confodiant. Quod pertinet ad arma venatoria, quidam baculum protendit benè capitatum; alter ſuccinctus in *Popæ* morem ſecurim [2]; unus dumtaxat telum, ſeu venabulum, cujus in haſtili ſummo tranſverſum quiddam apparet [3] tamquam manubrii loco. Reliqui haſtis armantur; ex quibus qui pallio obvolutus circà collum eſt, lanceam ſtringit ferro utrinque præfixo. De *Pileo* [4], quo aliqui utuntur, vide in notis.

(2) Duas habemus hujus generis ſecures, tertiam multò præſtantiorem, quòd adhibita in faſcibus olim fuit, qui magiſtratibus præferebantur.

(3) Venabula lato ferro præfigi ſolebant, non unum tamen eorum genus fuit; quare ſi quis, quod brevius in hoc ferrum eſt, neget eſſe venabulum, telum dicat. Quod haſtili adjectum e tranſverſo eſt, non idcirco appoſitum puto, ne telum elabatur e manibus, ſed ut vel jactum refigi facilius poſſet e feræ corpore, vel jaci validius, libramento per eam appendicem commodiùs quæſito.

(4) *Pileos* fuiſſe in uſu & apud *Veteres*, nemo fortaſſe erit, qui neſciat. *Vide Ferrarium de re veſtiariâ, & Pitiſcum*. In itineribus, & in venatione præſertim, ut habet *Dempſterus in Etrur. Reg.*, aliquo capitis integumento utebantur antiqui ad Solis radios, aut pluviam, aut aeris intemperiem arcendam, illoque non ſemper capiti ſuperimpoſito, ſed etiam in humeros rejecto interdum, pendentique incedebant, ut videre eſt apud eumdem *Dempſterum*. *Laneos* fuiſſe pileos, eoſque craſſiores, & colore varios maniſeſtè colligitur ex Scriptoribus, iiſque, tamquam libertatis inſigne, *Romæ* præſertim in *Saturnalibus* uti populum conſueviſſe. *Petaſos* habuiſſe marginem, ac pileis noſtratibus fuiſſe perſimiles certum eſt: his utebantur tabellarii, ſervi, venatores &c. quemadmodum hìc apparet. *Heroum* quoque pileos fuiſſe, illoſque penitus ſine margine, & caſſidum formæ propiores inferiùs *Tab. VII.* exhibebit.



Ærea To. I. Ign. Benedetti sculp.

TABULA VI.



Ivifam damus in partes tres, illamque *Tabulis* totidem exhibemus, quæ Vas ambit viriculo incifa *Argonautarum* Fabula. Notiffimi apud omnes *Argonautæ* funt, qui *Jafone* Duce folventes in *Colchidem* navigarunt; de his *Apollonius in Argon.*, *Apollodorus*, *& P. Ovidius in metamor.* Inter cetera, ad quæ, dum navi iter facerent, appulerunt litora, *Bebrycia* (1) fuit, in quâ regnabat *Amycus*. Is, quotquot advenæ terram fuam attingerent, ad cæftum provocabat in filvis, illofque dolo potius, quàm virtute devictos barbarum in modum mactabat. Exhibet *Tabula* hæc VI. hunc *Argonautarum* in *Bebryciam* adventum, obversâque pelago prorâ ftat litore *Argo* navis, cujus in puppi fedet *fpeculator* (2), nudus ille quidem, ficut & ceteri, qui *fervi* potius, quàm *Heroes* omninò cenfendi videntur: alter enim illorum in ipfo navis foro dormit, alter extrà navim in arenâ fedens remum tenet, ac dextrâ vas, tres reliqui in farcinis, vafifque, quæ intus erant in navi, exportandis funt occupati. Navis ferè dimidia poft rupem latet; ex eâ tamen parte, quæ confpicua nobis eft, & ex duplici foraminum ordine, per

(1) *Bebrycia*, ut fcribit *Baudrandius*, defumpfitque ex *Strabone*, *Plinio*, *Apollodoro*, aliifque, *Bithiniæ* in *Afiâ Minori* pars eft, in eâque urbs *Lampfacus* invenitur, quare & ipfa provincia etiam *Lampfacena* eft interdum a Scriptoribus dicta.

(2) Ex *Livio*, aliifque habemus *Veteres* certis hominibus ufos effe in navigando, qui navigii malum afcendentes, quà itineris tenenda directio, aut quæ in curfu vitanda effent naufragii pericula admonerent. Hos *Speculatores* dixerunt; quâ de re vide *Lucianum*. Cum autem naves confifterent, fui iterum fpeculatores habebantur, qui non e fummo malo, fed e navi ipsâ, quis ad navim accederet, quodque in litore ageretur, fedentes obfervarent.


per quem remi transmittebantur, *biremem* (3) appellamus. Ad puppim *temo* (4) sublatus cernitur, scalæque appositæ, per quas e navi in litus descenderent. Ex leonino capite, quod in rupe ipsâ excisum conspicitur, fons defluit; cui proximus *Silenus* (5) sedet, risuque solvitur alterum e navigii servis aspectans.

(3) De Veterum navibus, illarumque constructione, de quibus plurima habet *Plinius*, difficillimam sanè, licet non injucundam, illamque multorum disputationibus celebratam enarrationem suscipimus. Itaque, *minimæ*, naves scilicet, ait *Vegetius lib.* 5. *c.* 7., *remorum habent singulos ordines, paulò majores binos, idoneæ mensuræ ternos, vel quaternos, interdum quinos sortiuntur remigum gradus. Nec hoc cuiquam enorme videatur; cùm in Actiaco prælio longè majora referantur concurrisse navigia, ut senorum etiam, vel ultrà, ordinum fuerint*. Quod planè adeo nulli *enorme* videri debet, ut apud antiquos Scriptores *quadragesimus*, & *quinquagesimus* quoque remorum ordo in navigiis commemoratus inveniatur. *Vide Plinium, Photium, Atheneum, Schefferum, Gronovium, Salmuth., Bays. de re navali, Montfoucon* &c. Hinc implicatissima oritur quæstio, ac multiplices circumferuntur eruditorum sententiæ, quas omnes ad capita hæc duo tandem referri posse judicamus. I. Fuerunt nonnulli, qui putaverunt *biremem binum* remorum ordinem habuisse, *triremem ternum*, & sic de ceteris; negarunt tamen hos remorum ordines in ullâ umquam navi *sextum* ultrâ *decimum* excessisse. Non conveniunt prætereà in ordinum istorum dispositione statuendâ; ii enim volunt primi ordinis remos ceterorum ordinum remis rectâ imminere; illi tuentur, primi, ac secundi ordinis palmulas ita inter se fuisse dispositas, ut duæ superiores primæ cum alterâ inferioris ordinis quasi triangulum efformarent; hi denique remos, ductâ veluti diagonali, in navibus collocatos sustinuerunt. II. Alii, qui quidem numero longè minori sunt, unum tantùm remorum ordinem in qualibet veterum navi agnoscunt, putantque vel unicuique remo *binos*, aut *ternos*, aut *quaternos* &c. remiges attributos, vel navim ita fuisse constructam, ut tribus quodammodò tabulatis constaret, quorum inferius esset in prorâ, elatius alterum in mediâ navi, ultimum in puppi, quod altitudine secundum superaret; ex his autem tabulatis contendunt aut *binas*, aut *ternas*, aut *plures* etiam palmulas fuisse immissas, statuuntque, aut ab his tabulatis, aut a remigum numero, huic *biremis*, illi *triremis*, alteri *quadriremis*, & sic de ceteris, nomen fuisse factum. At contrà utramque opinionem gravissimæ oboriuntur difficultates, quas hic breviter indicabimus. Contrà II. illud tantùm quærimus, quam longo, latoque corpore veterum naves putandum sit, si *Plinii*, *Photii*, atque *Athenei* testimonio *quadringenti* non raró, persæpe *mille*, & *sexcenti*, interdum denique ad *quatuor mille* remiges numerabantur? Contrà I., intelligi omninò videtur non posse, quâ immensâ longitudine primi ordinis remi esse debuissent, si *secundus*, & *quartus*, & *sextus* &c. ordo remorum alter suberat illi primo, adeoque negant possibilem & arborem, ex quâ remus hujusmodi efformaretur, & hominum vim, quâ moles tanta moveretur. Deinde, quem explicaturum speramus quo pacto ab utrâque navigii parte tot remi uno impetu, eâdemque erectionis, ac dejectionis lineâ moverentur? Quod si dicatur, id esse non potuisse, cumque hoc ipsum, si non sit, progressionis mechanismo apertè repugnet, planè consequitur, veterum naves in illo perturbato, confusoque remorum motu immobiles omninò, & in utrumque latus fluitantes consistere debuisse. Quare, licet *Deslandius*, *Zenus*, *Vossius*, aliique non pauci circà veterum navigiorum constructionem systemata quædam protulerint, illud concludimus; certissimum quidem esse Antiquos usos fuisse navibus, quas *triremes*, *quadriremes* &c. nominarunt; ignotum autem penitus nobis & esse, & fore in posterum quâ ratione, & quo ordine, in iis movendis, remi primùm, deinde etiam remiges disponerentur. Suspicor autem veteribus ipsis incommodam maximè fuisse artem tum construendi, tum etiam regendi naves, illudque colligo ex eo præsertim, quod tàm incerta, atque obscura ad nos artis ejusdem vestigia pervenerint, nosque in nostris navigiis, illis quoque, quas γαλαίας appellamus, tam immaniter ab Antiquorum navibus, earumque formâ distemus.

(4) *Temonis* hujus forma usitatissima tum in picturis, tum in marmoribus &c. apud Antiquos est, licet non una *temonum* configuratio, sed diversissimæ illorum species in Veterum monumentis occurrant. In *Arno* flumine similem omninò lintris temonem me olim observasse memini, eoque navigii rector, quodammodò leniter remigando, iter suum dirigebat.

(5) Non cum *Argonautis Silenum* navigasse in *Bebryciam*, sed ibi fuisse ab illis inventum putamus. Dignum adnotatu est, quod, sicut in sequentibus *Tab.* Dii Majores, iique communes populis omnibus cum *Heroibus* commixti sunt, ita in hâc *Tab.* cum *servis* versatur *Silenus*, qui inter Deos minores, aut potius semideos recensetur. Ridet ille feræ exuviis ad humeros vestitus, vel quia hospitum adventu lætior est, vel quia alter ex *Argonautarum* famulis peram ex arboris ramo pendentem pugnis contundit.

Ærea T. I.



Ign Benedetti sculp.

pag. 27.

TABULA VII.



FAbulæ, quæ in Vaſe deſcripta eſt, partem alteram exhibet *Tabula* hæc VII., in quâ præter navis ſervum alterum, qui urnam fictilem (1), ut judicamus, ad aquam e fonte deſumendam ſuſtinet, *Argonautarum* quatuor conſpiciuntur longioribus haſtis armati. Horum duo haſtis duabus inſtructi ſunt; cumque id in Veterum monumentis tamquam *Heroum* inſigne habeatur, eos *Jaſonem* fortaſſe, & *Caſtorem* putamus eſſe. Ad opinionem hanc amplectendam adducimur, tùm quia *Hercules* amiſſo *Hyla* in *Bœotiam* ſubſtiterat, *Apollon.*, *Apollod.*, quem ſi demas, nullum fortaſſe alium inter *Argonautas Jaſone*, & *Caſtore* præſtantiorem inveneris; tùm quia horum alter manu ad collum alterius appoſitâ illi quodammodò blandiens de *Pollucis* victoriâ, quam hic adſpectat, dixeris amiciſſimè gratulari. Ex his *Heroibus* alter *pileo*, ſeu verius *caſſide* caput tegit, alter gemmato cinctu inſtructus eſt. *Argonautarum* unus fonti propior, & pallio e collo pendenti in humeros rejecto bibens cernitur, cyathoque (2) utitur, cujus ſingularis eſt forma, cum & rotundus, & vix elato labro eſſe appareat, & longior pes illi ſubſit,

(1) Urnas hujuſmodi fictiles communiſſimas eſſe nemo neſcit, earumque plurimæ etiam noſtris hiſce temporibus effodiuntur. In noſtro *Muſeo* multæ ſunt figurâ fermè eâdem, licet minori corporis magnitudine, & gyro. *Vide Montfauconium*. Si quæratur quomodò hæ aquâ plenæ rectæ conſiſterent, putamus ideo aliquo modo infernè acuminatas eſſe, ut ſcilicet ſolo infixæ nullam in partem inclinarentur, & intus immiſſum liquorem commodè continerent.

(2) Singularis planè cyathi iſtius forma eſt, nullumque illi ſimilem nobis huc uſque occurriſſe ingenuè fatemur. Quod infernè ſignis inſculptus appareat, illud putamus eſſe, quod apud Scriptores, poetas præſertim, *ſignis aſperum*, *cælatum*, & alia id genus, dicebatur. Ita *Virgilius Æneid.* 1.


Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum;

ut taceamus de *Homero*, aliiſque.

ſubſit, & infernè figuris inſculptus conſpiciatur. In ultimâ *Tab.* parte *Saturnus* (3) eſt; ſenior ille, & promiſsâ barbâ, cogitabundus, & triſtior, pallio involutus, ſoleis ſecundum pedes circumveſtitus, ac demum alatus. Quod maximè adnotandum cenſemus, eſt ſuum ipſum ſuper pallium in elatiori loco collocatus *Macolnius*, cui bulla aurea e collo pendet. Jacet ille quidem in cubitum leniter erectus, dextrâque vittam tenet; quare judicium rurſus Lectoris eſto, utrum Filia, cùm monumentum hoc patri extincto poſuit, illique & inter ſtatuas in ſummo Vaſe, & in operculi venatione, hìc tandem in Vaſis ambitu primas quaſi partes attribuit, ejus cineres in ſepulcro condere, an potius voluerit memoriæ, ac nominis immortalitati providere.

(3) Non aliâ de causâ hìc appoſitum *Saturnum* putamus eſſe, niſi quia ipſe unus ex *Diis communibus* cuicumque genti haberetur. Pallio involutus eſt, illiuſque dextero limbo ſuprà ſiniſtrum brachium projecto manu eâdem mentum fulcit genui quoque ſiniſtro placidè innixus. Difficilius fortaſſe cauſa excogitabitur, cur & *alatus* pingatur. Ait *M. Tullius de Nat. Deor. lib.* II. 25. *Saturnum eſſe .... qui curſum, & converſionem ſpatiorum, ac temporum contineret, qui Deus Græcè id ipſum nomen habet*; Κρόνος *enim dicitur, qui eſt idem* χρόνος, *ideſt, ſpatium temporis.* Hæc Cicero. Videat nunc eruditus Lector, an, cum *alatum Saturnum* ſcalptor exhibuit, quoniam hic Deus *curſum, & converſionem ſpatiorum, ac temporum continet*, aliquid etiam in corporis figurâ voluerit ipſi tribuere, quod *Tempori* quoque commune eſſe poſſet, alas ſcilicet, quas hìc in vaſe *Saturno* dedit. Addendum præterea cenſemus; *Etruſcos* Diis alas perſæpe tribuere conſueviſſe, ut videre eſt apud *Dempſterum* in *Etrur. Regali*, & *Gorium* in *Muſ. Etr.*, & inferius *Tab. XIII.*, in quâ damus *pateram* cum *Cerere*, ut putamus, *alatâ*. *Soleatus* præterea Deus eſt, ubi tamen ad pedis collum habenæ conſtringuntur, ligulæ cujuſdam indicium cernitur, cujus exemplum fortaſſe aliud non vidimus. Conſule, quæ de *Macolnii* calceamentis ſunt dicta *Tab. III. adnot.* 3.

Area T. I.



Ignat. e Benedetti Sculp.

Pag. 31.

TABULA VIII.



Ltimam in Vaſis gyro deſcriptæ Fabulæ partem *Tab.* hâc VIII. exhibemus. Poſtquam ad cæſtum provocatis *Argonautis Pollux* certamen ſuſcepit, victuſque in pugnâ eſt *Amycus*, hunc a victore fuiſſe necatum colligimus ex *Apollonio*. Arbori itaque ægrum, languentemque victum provocatorem *Pollux* alligat, quorum uterque cæſtibus (1) adhuc armatus conſpicitur. Sublimis advolat armillata *Victoria* coronam dextrâ, ſiniſtrâ vittam (2) deferens, *Polluci* utique debita tamquam triumphi præmium. Ad *Amyci* pedes *mullei* ſunt, eoſque ad Regem credimus pertinere; ad arboris ipſius radices *Pollucis* jacere putamus *ſervum*, qui ſuo ipſomet pallio involutus ſiniſtrâ, cui vas ſuſpenſum habet, vittam, dextrâ *Pollucis* calceamenta, quæ forte *perones* (3) dixeris, tenet. Stans prætereà adeſt *Pallas*, *Apollo* ſedens; hic nudus, crepidatus, gemmato torque ſuprà cubitum inſtructus, laureâ coronâ crines circumdatus dexterâ haſtam tenet; coronata *Dea* quoque

(1) *Cæſtuum* exempla, præter pateram, quam damus *Tab. IX.*, alia nonnulla apud nos ſunt præſertim in fictilibus *anaglyphis*, eademque fermè textura in omnibus apparet. *Vide Montfauconium*. Quod *Virgilius* ait Æneid. 5. *Daretis*, & *Entelli cæſtus plumbo, ferroque aſſuto* riguiſſe intelligendum cenſemus, bubalorum lora, ex quibus cæſtus conficiebantur, ita texturæ illius nodis, ac flexibus duruiſſe, ut quaſi plumbum, aut ferrum iiſdem aſſutum foret, graviſſimè membra contunderent. De his *Plinius*, *Tullius*, *aliique*. *Cæſtuum* inventorem fuiſſe hunc *Amycum*, de quo agimus, auctor eſt *Clemens Alexand.* Voluerunt nonnulli *cæſtum* eſſe genus quoddam veluti clavæ, cui pilæ plumbeæ loris appenderentur; hi tamen viderint ne forte *cæſtum* cum *plumbatis* confundant.

(2) Apud *Dempſterum in Etrur. Reg.* habemus, *Etruſcos* iis, qui de hoſte triumphaſſent, & *auream coronam*, & *victam* dare conſueviſſe; quæ duo cum hic *Victoria Polluci* deferat, iterum *Etruſci* operis monumentum hoc eſſe affirmamus.


(3) Cum rudia hæc calceamenta, & craſſioribus loris intexta nobis appareant, ea *perones*, militares ſcilicet *Pollucis* calceos eſſe dicimus. *Vide Tab. III. adnot. 3.*

que, *olivâ* potius, quàm lauro dixerim pexam comam adſtricta, monile collo, Gorgonem in pectore, haſtam ſiniſtrâ, armillam [4] in brachio gerit, nudis pedibus, traductoque a dextro latere ſuper ſiniſtrum brachium quodam quaſi pallio, & hoc, & veſtem ſingulari opere [5], quodque in *Etruſcis* monumentis invenitur, fimbriatam oſtendit. Ultimus in *Tab. Argonautarum* eſt alter, qui haſtæ innixus ſocii triumphum, atque *Amyci* ſortem intentus adſpectat.

(4) Vetuſtiſſimum fuiſſe *armillarum* uſum, quibus brachia ornarentur, habemus ex ſacris literis in Ezechiele 21. 14. *Tamquam armilla impoſita brachio dextero*. Aureæ, ut plurimum, ipſæ erant, & ſolidæ; interdum tamen & textiles, & per fila contortæ. Ex *Livio* tamen colligimus fuiſſe etiam argenteas, & *Petronius* meminit eborei circuli in armillis, cui aurum inducebatur. In noſtro *Muſeo* æreas armillas plures habemus, quæ ſuo loco publici juris fient. His dexterum brachium Antiqui ornabant, quare a *Latinis* non rarò *dextrale* ſunt appellatæ. *Sabini* quidem ſiniſtrâ potius armillatâ incedebant, unde factum eſt, ut nonnulli, ſed perperam judicio noſtro, armillas ſiniſtræ manus ornamentum eſſe judicaverint. Dum id aſſerimus, non negamus plurimos ex Antiquis utrumque brachium armillis ornaſſe; illud tantùm ſtatuere conati ſumus, quòd dexterum potius, quàm aut ſiniſtrum, aut utrumque armillâ innexum brachium geſtare, & honeſtius, & uſitatius *Romanorum* temporibus haberetur. Earum uſus ſolis civibus, teſte *Plinio*, non autem externis, concedebatur; illaſque, ut ait *Iſidorus*, etiam militibus ob *armorum virtutem victoriæ causâ* conferebant. Suas etiam fœminæ armillas habuerunt, ac de iis meminerunt *Feſtus*, *&* *Capitolinus*; *Etruſcos* tamen ſolis Deabus illas tribuiſſe affirmat *Dempſterus*. Cùm ergo hic *Victoria* utroque brachio, *Pallas* ſiniſtro armillâ ornato conſpiciantur, momentum alterum ceteris argumentis judicamus accedere, quibus adducti ipſo *Tab. I.* initio monumentum hoc totum Etruſci operis eſſe putare nos affirmavimus.

(5) Veſtes hujuſmodi operâ fimbriatas videre plures poterit *Eruditus Lector* in Etruſcorum monumentis apud *Gorium* in *Muſ. Etr.* Inferius *Tab. XIV.* ejuſdem operis exemplum aliud exhibemus in noſtri *Muſei paterâ*, in quâ cum *Genio Feciali Minerva* eſt.

Ærea. T. I.



Ignat. à Benedetti sculp.

Pag. 35.

TABULA IX.



Na cum vaſe, quod jam edidimus, reperta hæc patera [1] fuit. Idem utriuſque argumentum eſt, *Pollucis* nimirum cum *Amyco* pugna cæſtibus commiſſa, niſi quod in Vaſe *Pollucis* victoria deſcribitur, in paterâ pugnæ præludium, & apparatus. De eâ *Theocritus* agit in *Dioſcuris*, qui, quàm ſuperbè *Amycus Pollucem* in *Bebryciam* appulſum ad pugnam illexerit, & quo propoſito victoriæ præmio, pluribus narrat [2]. Significatum id videtur in hac paterâ, ac velut expreſſum ab artifice; ſtans enim *Pollux* indutis cæſtibus [3] offerre ſe certamini oſtenditur. *Amycus* contrà ſedens non ſine contemptu hunc videtur intueri, immanis prorſus homo, &, ut ait *Theocritus*, ſilvis innatus, etſi *Orpheus Bebrycum* eum principem vocet. Idcircò *Diana*, quæ nemorum cuſtos ab *Horatio* dicitur, eidem adſtat, tamquam præſidio futura. Ut verò *Dianam* eam eſſe manifeſtius appareat, appoſitum *Lunæ* creſcentis ſignum eſt, & nomen adjectum LOSNA, *intonſis* fortaſſe *Curibus*

(1) Scalptam in hac navim *Argo* eſſe ſcribit Cl. *Carli* in ſuo *de Argonautis opere*; at re vera hæc in Vaſe eſt, non in paterâ

(2) Meminit Poeta etiam fontis, a quo non longè jurgatus *Amycus* cum *Polluce* eſt. Hic fons in Vaſe *Tab. VI.* cernitur, apud quem etiam *Silenus*, ut ſilveſtrem eum locum fuiſſe artifex innuat.

(3) De cæſtibus dictum eſt Tabula VIII. Hi chirothecarum inſtar erant e crudi corii vittis intexti. Ne verò prolaberentur e manibus, aut, ſi arctius adſtricti eſſent, brachium læderent, alligari ſolebant propè cubitum ſuprà pellem ovinam quinque digitorum latitudine, quæ propterea *pendedactylos* dicebatur. Nodis quidem aſperos cæſtus fuiſſe omnes fatentur; inſui autem in eos ferrum etiam, aut plumbum conſueviſſe, quod de *Entelli* cæſtibus affirmare videtur *Virgilius*, aliqui putant, alii contrà negant; cenſent enim non de re ipsâ, ſed de corii, nodorumque duritie, ac pondere, quæ ferrum, aut plumbum imitarentur, intelligendum id eſſe. Quod ſi tanta immanitas tribuenda eſt antiquis moribus, nec ab aliquo tantùm ita pugnantium pari factum id velimus aliquando, videtur fortaſſe ab *Entello Dares*, ut de hoc potiſſimum loquar, uno ictu confici debuiſſe tam validis armis. At diù verberatum ab eo hunc *Amyci* nepotem legimus, & quidem utrâque manu, nec tamen interemptum, cum nihilominus *Entellus* idem paulò poſt uno ictu taurum occiderit.

ribus tribuendum, aut potius *Etruſcis* (4), æquè ac reliqua duo, quæ leguntur in hac paterâ *Poloces*, & *Amuces*. Illud dici verè poteſt, non leve antiquitatis indicium hæc nomina eſſe antiquis imaginibus inſcripta, & ita inflexa.

II. Tria nobis occurrunt in hoc opere *Saltatorum* paria; his omnibus, communis eſt brevior tunica (5), altèque ſuccincta, idem fermè capitis integumentum (6), una, eademque ſtatus, & geſtus ratio; cancellatis enim cruribus, & brachiis in tergum rejectis adſpectant ſe mutuò, ita tamen ut ſe populo oſtendere, antequàm ludum incipiant, videantur. Sed in hac paterâ illud magis præcipuum, quod clypei ad *Saltatorum* latera appoſiti ſint: quare nihil humile, ac fractum cogitari de his debet, ſed virile quiddam, & militare. Equidem ludicræ hujus pugnæ ſpecimen, ad *Pyrrhicæ* ſaltationis genus arbitror pertinuiſſe; cum pugnæ ſimilitudinem ita luderent in ſcænâ, ut inter ſaltandum modò ſe invicem aggrederentur, modò pedem referrent, intereà clypeos concuterent, & alterum alteri illiderent ad numerum, & pedum pulſum, ut quæ voluptas ſpectando capiebatur ad armorum tractationem per jocum, & riſum juventutem incenderet.

(4) *Lobna*, civitas ſacerdotalis fuit in *Tribu Juda*; *Lunam* autem ſignificat. Si igitur verum eſt *Etruſcos* a *Paleſtinis* genus ducere, ut ſcripſit *Cl. March. Maffei*, fieri poteſt, ut, quod *Hebraicè Lobna*, id *Etruſcè Loſna* diceretur unius literæ immutatione, ſenſu tamen eodem.

(5) In hac paterâ *Saltatorum* tunica latâ faſciâ prætexta ad oram eſt, in aliis non item.

(6) Pileus hic ad imam frontem depreſſus faſciâ concluditur in duos veluti circulos diſpertitâ, quorum extrema conſeruntur inter ſe ſuprà tempora, & coeunt in nodum eleganter contortum. Non ſemel hic pileus deprehenditur in his pateris galeæ quidem ſimilis, aut galericulo illi, quo utuntur modò curſores, lautique homines, cum iter eſſedâ vecti faciunt, quamquam in hac paterâ pileo *Phrygio* videtur ſimilior.



Ærea T. I.

Ign. Benedetti Sculp.

TABULA X.



Ioſcuros hos eſſe cùm Stella [1] docet intermedia, tum Cycnus [2], & pilei [3] genus. Cetera non ita propria, neque tamen eiſdem contraria. Sunt, qui velint ambos *Jovis* [4] filios ex *Ledâ Tyndari* uxore, unde etiam dicti *Tyndaridæ*; contendunt alii ſolum *Pollucem* ex *Jove* natum, qui cum fratre ita partitus immortalitatem ſuam eſt, ut alternâ vice morerentur [5], ac viverent. Diis tandem, ac ſideribus [6] adſcripti ſunt, & navigationis [7], ac rerum forenſium [8] præſides habiti.

II. Pru-

(1) In Zodiaci ſignum, quod *Gemini* dicitur, relatos *Caſtorem*, & *Pollucem* antiquitas credidit: id innuit, ut opinor, pateræ ſtella; nomini autem, & fabulæ locum dedit ſtellarum, quibus hoc ſignum conſtat, conformatio, ita enim diſpoſitæ ſunt, ut aliquam duorum adoleſcentium imaginem præferant.

(2) Ex ovo, quod *Leda* pepererat ex *Jove* in cycnum converſo, nati *Pollux*, & *Helena*; ex altero, quod eadem ex *Tyndaro* genuerat, *Caſtor*, & *Clytemneſtra*. Mira tamen in tam putido commento Scriptorum diſcordia eſt, in quo pudet me immorari diutius. *Vide Natal. de Comit. Mythol. lib.* 8.

(3) Capite ita operto etiam alibi reperiuntur *Dioſcuri*, ideſt *Jovis* filii, ſtella tamen non raro ſupra galeam, aut pileum apposita, quod videre eſt in nummis familiæ *Calpurniæ*, & *Calviſiæ*; ſive quòd in ſigno *Geminorum* uterque ſtellam habeat in fronte ſecundæ magnitudinis, unde fortaſſe vocantur ab *Horat. lib.* 1. *od.* 3. *Fratres Helenæ lucida ſidera*; ſive quòd obortâ tempeſtate appareant tamquam ignes navigantibus: de quibus infrà dicemus.

(4) Ita ſcribunt *Homer. in Hymn. Theocrit. in Dioſc.*, & *Horat. lib.* 2. *ſerm.* 1. *Caſtor gaudet equis; ovo prognatus eodem Pugnis*; id eſt, *pugilatu*. Contrarium videtur opinari *Virgil.* 6. *Æneid. Si fratrem Pollux alternâ morte redemit, Itque, reditque viam toties*; *Pauſan. in Arcadic.*, & quotquot communicatam a *Polluce* cum *Caſtore* immortalitatem commenti ſunt: quid enim *Caſtori* opus fuit hoc fraterno munere, ſi & ipſe *Jovis* filius erat, & proinde æquè immortalis? Utrumque tamen *Cicero* mortalem dicit *lib.* 3. *de Nat. Deor.*, ait enim: *Dioſcuri apud Græcos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex Rege Jove antiquiſſimo, & Proſerpinâ nati. Tutopatrius, Eubuleus, Dionyſius. Secundi Jove tertio nati ex Leda, Caſtor, & Pollux*. Secundam ſententiam ſecutus videtur artifex in hac paterâ. Cycnus enim non medius inter duos, ſed ante unius pedes accubat, certè Pollucis.

(5) Ait *Servius* huic fabulæ occaſionem dediſſe ipſam ſigni *Geminorum* naturam, quorum altero oriente alter occidit. At ſi quis reputet quid in ſtellis ſit oriri, & occidere, id propter vicinitatem, & conjunctionem ſtellarum fieri in hoc ſigno non poſſe facilè intelliget.

(6) Affirmat id *Horat.* 2. *ſerm. ſat.* 1. *& cum Caſtore Pollux...... poſt ingentia facta Deorum in templa recepti*. Inter hæc *Argonautica* expeditio ſcilicet fuit, in quâ *Pollux Amycum Bebryciorum* Regem, pugnâ cæſtibus commiſsâ, interemit. *Theocr. in Dioſc.* Nec hi tantùm in ſidera relati, ſed cygni quoque formâ, quâ decepta *Leda* eſt.

(7) Digreſſis a *Sigæo Argonautis*, obortâque tempeſtate ſingulæ ſuprà *Pollucis*, & *Caſtoris* caput, qui unà ſolverant, (*Caſtorem* abſuiſſe quidam putant) flammulæ apparuerunt, nec ita multò poſt tranquillitas conſecuta. Hæ, quæ ſi geminæ apparerent, boni ominis erant, ſecus verò, ſi una tantùm, *Pollucis* ignes, & *Caſtoris* dictæ olim ſunt; *Sanctorum Nicolai*, & *Hermi* nunc vulgò vocantur a nautis. Sed horum ignium ratio, quos adeo mirata antiquitas eſt, non aliunde quàm ab ipſa rerum natura videtur petenda. Cum enim vapor, quem *electricum* vocant, ab eo corpore, ubi copioſior fuerit, (non enim eâdem menſurâ eſt in omnibus) ultrò feratur in aliud, quod eo ſit egentius, (æquilibrium enim quærit); idcircò fit, ut ſi procellæ tempore nubes, quæ navigio imminent, eo careant, ab ipſo mari, viciniſque corporibus ſurſum ad eaſdem aſcendat; ubi verò ad ſummas antennas, ſiquidem illis adhæreat, aut ad carcheſium pervenerit, ibi magis collectus lucem ſuam, tenuem illam

quidem.

TABULA X.

II. Prudentem *Vlissem* fuisse, sed subdolum [9] Scriptores prodiderunt. Id, ut puto, innuit pateræ artifex angue [10] eidem apposito, & *Palamede* [11] supplicis habitu [12]. Tertium, cui æquè ac *Vlissi* palliolum ante collum globulo [13] adstringitur, *Diomedem* esse suspicor, aut potius *Calchantem* [14].

quidem, & cæruleam prodit, ac flammam innocuam. Ita explicari posse arbitror, quod *Dioscuris* accidisse dicitur in expeditione *Argonauticâ*; ita, quod *Laviniæ Latini* Regis filiæ apud *Virgilium*, & *Vigilibus Romanis* apud *Plinium*, quorum ardere aliquando galearum apices visi sunt, & ferrum hastarum.

(8) *Cicero 7. Verr. Usque omnium rerum forensium, consiliorum maximorum, legum, judiciorumque arbitri, & testes celeberrimo in loco Prætorii locati Castor, & Pollux.* His ædificatum *Romæ* templum est ad lacum *Juthurnæ*, quòd adolescentes duo visi in eo fuissent equos sudore madidos abluentes eo die, quo pugnatum contra *Tarquinios* ad lacum *Regillum* fuit, qui & victoriam nunciaverunt; habiti proinde *Dioscuri*. Addo fœminas per hos jurare solitas, *Pol*, *Ædepol*, *Castor*, *Mecastor*; quod idem est ac *per Pollucem*, per *ædem Pollucis* &c. *Plaut. Terent.* aliquando etiam mares, ut insanus ille apud *Horat. Pol, me occidistis amici, non servastis, ait.*

(9) Habemus *apud Horat.* 1. *ep.* 2. *Quid virtus, & quid Sapientia possit ..... Utile proposuit nobis exemplar Vlissem*; at non, ut censeo, in omnibus imitandum, cum virtus, & sapientia in hoc homine ad calliditatem, & dolos deflexerint; itaque *Horat. Carm.* 1. *od.* 6. duplicem eum vocat, aliud nimirum loquentem, aliud sentientem; *Homerus* autem versutum, ac subdolum. Multò acrius eumdem carpit *Virgilius*, cum pellacem, seu blanditiis, & fraudibus decipientem, dirum, & scelerum inventorem appellat. Scio ita dici a *Sinone*, & *Ænea*; sed non ita fabulatus esset *Virgilius*, si spectatâ famâ, quæ de eo antiquitus percrebuerat, hæc in *Vlissem* cadere non potuissent.

(10) Anguem Cancer, quem pro amicitia sæpe monuerat, ut ab astutiâ, malitiâque discederet, quòd nihilo melior factus esset, dormientem occidit; cum autem spiris resolutis, & in longum porrectum videret, *oportebat*, inquit, *te ita fuisse, dum viveres. Æsop.* 70. Est autem anguis prudentiæ, & calliditatis symbolum.

(13) *Palamedes Nauplii Eubeæ* Regis filius cum *Vlissem* arantem in litore, & sal pro tritico ferentem animadverteret, simulabat enim insaniam, ne proficisceretur ad bellum *Trojanum*, *Telemachum* ejus filium in arenâ, in quâ ducendus sulcus erat, tamquam casu reclinavit; quo viso pater aratrum continuit, ne puerum proscinderet. Hinc acerbè *Palamedem* odisse *Vlisses* cepit, coactus enim est arma capere. Ita *Hyginus*. Contrà *Cic.* 3. *Offic. apud Homerum optimum authorem nulla de Vlisse talis suspicio est, sed insimulant eum Tragœdiæ simulatione insaniæ militiam subterfugere voluisse.* Alteram odii causam, quæ *Diomedem* etiam incendit in *Palamedem*, invidiæ tribuit *Dio Chrysost.*, quòd ille pluris fieret a *Græcis* propter morum honestatem, multamque doctrinam; quatuor enim literas addidisse fertur alphabeto Græco, pluraque alia, quæ ad ludos, & pondera, quæ ad Astronomiam, & militarem disciplinam pertinent, præclarè excogitasse: id illi ferre nullo modo poterant, ut ait etiam *Dyctis Cretensis*. Quod verò hic addit, adductum *Palamedem* ut in puteum descenderet effodiendi thesauri causâ, ibique magnâ vi lapidum conjectâ interemptum fuisse, id anilibus fabellis libenter adnumeraverim. Illud verosimilius mihi videtur, quod *Homeri*, *Virgiliique* interpretes scribunt, eo proditionis accusato, & adulterinis *Priami* literis palam recitatis, quibus Rex gratias ei agebat, quòd aurum clam missum accepisset, *Vlissem* simulato Palamedis patrocinio adversatum his literis fuisse, cum diceret, credendum illis non esse, aurum potius quærendum, si quod occultaretur in ejus tentorio: quo reperto, furtim enim ibidem infodiendum *Vlisses* curaverat, *Palamedem* lapidibus obrutum fuisse.

(12) Abjicere se ad pedes, & in genua provolvi mos fuit supplicantium. Ita *Cicero* factum narrat a *C. Marcello* cum pro Fratre *Cæsari* supplicaret *lib.* 4. *ad Sulpit. ep.* 10. Etiam eorum aliquando, qui interficiendi jam erant. *Vide Tab.* 130. 135. 141. 142. *T. I. Mus. Etr.*

(13) Palliolum ad collum ita alligatum, & opere Phrygio circumtextum frequenter occurrit in *Etruscorum* monumentis. *Vide Mus. Etr. & Tabulas superiores hujus Tom.*


(14) Infensum *Palamedi Diomedem* fuisse habemus ex *Homero*, & *Dione*; fieri igitur potuit, ut hic etiam unâ cum *Vlisse* tueri se *Palamedem* velle simularet, cum proderet. Sed hæc duorum adversariorum defensio suspicionem afferre meritò potuit; quare *Calchantem* potius puto adesse *Vlissi* in hac paterâ ad fraudem faciendam.



Ærea T. I.

Ign. [illegible] Sculp.

TABULA XI.



RAptum in hac paterâ repræſentari fœminæ alicujus putat *Cl. Chauſeus*, & ut ait fortaſſe *Helenæ* (1). Lauta quidem tunica eſt, & ejuſmodi palliolum (2), quod mulierem primariam deceat; ſed ne de raptu cogitem, is maximè facit, quem ad mulierem abducendam accedere *Chauſeus* arbitratur; ſeminudus (3) enim eſt, & inermis, & admodum adoleſcens; ad hæc ſupplici habitu, ac vultu: quæ omnia opem implorantis potius, quàm ſcelus meditantis indicia præbent. Opinor itaque *Aſtyanactem* hunc eſſe, qui matrem pavidus adit, ut ab *Ulyſſis* eripiatur inſidiis. Congruit pueri ætas (4); congruit & mulieris, quam *Andromachen* puto eſſe, trepidus in omnem partem oculorum conjectus, quo enim hæc ſtudio filii ſalutem defenderit, quo verò aſtu eumdem *Ulyſſes* ad necem quæſierit, omnes norunt.

II. *Pan* idem eſt, ac *Totum*, ſeu *rerum univerſitas* *Orpheo* teſte; idem quoque ac ſemivir (5), qui ſupernâ cor-

(1) Muſeum Romanum, quod *Chauſeus* publici juris fecerat, novis monumentis additis, & hac paterâ locupletatum iterum edidit, quæ proinde in hac ſecundâ editione quærenda eſt.

(2) Pallium a fœminis quoque aliquando uſurpatum nemo ignorat; ita verò adhibitum, ut docemur hac paterâ, alibi me vidiſſe non memini. Exoticum itaque morem, ac barbarum videtur oſtendere, præſertim cum textu Phrygio ad oras circumornatum ſit.

(3) E faſciâ, quâ unâ tamquam ſubligari obtegitur adoleſcens, extare quiddam videtur peræ ſimile. Hæc mendicabulorum propria fuit, aut etiam Philoſophorum. *Vide Lucian. de Menippo in Dial.* Sed verius puto Zonæ plexum eum eſſe *peræ* ſimilitudinem caſu referentem.

(4) Qui *Homero Iliad.6.* ſtuduerit, ut objiciat, e cunis raptum ad mortem *Aſtyanactem* fuiſſe, ſtudeat etiam *Senecæ in Troade*, ubi de eodem *Aſtyanacte Andromacha*: *Hos vultus meus habebat Hector: talis inceſſu fuit, habituque talis: ſic tulit fortes manus: ſic celſus humeris: fronte ſic torvâ minax*. Hæc in infantem faſciis involutum non cadunt. Adeat quoque *Virgilium* in *3. Æneid.*, ubi *Andromacha* de *Aſtyanacte* ad *Aſcanium*: *& nunc æquali tecum pubeſceret ævo*. Num *Aſcanius* quoque *Trojâ* exceſſit cum patre faſciis obſtrictus? Atqui ſi *Ruæi* chronologiam non negligimus, ita fieri neceſſe fuit; de quo tamen *Aſcanio* eâ ipsâ nocte, quâ *Troja* capta eſt, fugienti dicitur *Æneid. 2.*: *ſequiturque patrem non paſſibus æquis*.

(5) Etſi caprinâ formâ, & aſpectu Veteres *Pana* deſcripſerint, non hujuſmodi tamen eum eſſe cenſuerunt, ſed Diis cæteris ſimilem, ut ait *Herodot. in Euterpe*. Quin habitus idem eſt ac *Juppiter Lycæus*, quem *Panis* in morem hiſpidum, nec tamen fine fulmine, ruſtici colebant. Hujus duo ſunt apud nos ſigna ærea ſanè præclara.

corporis parte, prolixâ nimirum barbâ, capilloque, Solis radios, lucifque effufionem referret; inferiori verò prorfus agrefti, caprinâque (6) ftirpes, & pecudes imitaretur. Ex hujufmodi notis *Pana* in hac paterâ mihi videor agnofcere, quem cum *Herodoto*, & *Homero* fcribit *Lucianus Mercurii* filium fuiffe; mirum itaque non eft, fi lyram (7) hic tractet, præfertim fi, quæ propè illum eft, *Syrinx* (8) putanda fit, nondum enim hæc converfa in calamum fuerat, ex quo deinde fiftulam *Pan* (1) confecit.

(6) *Pana* Etrufcum, de quo hic agimus, negat *Cl. Gorius* hircinis fuiffe pedibus; quòd Etrufci Deos, quos colerent, ita dehoneftare noluerint; cornua tamen, quafi quiddam ea effent honeftius, in eodem agnofcit, *Panis* figno quodam, ut id probet, allato *Tab. 63. Muf. Etr.*, in quo tamen fatetur occultata ea effe miro artificio, & aures videri potius, quàm cornua. At nifi me fallunt oculi, aures videntur, quia re vera aures funt, ut patebit infpicienti. Verùm hæc *Gorii* opinio refellitur ab hac paterâ, fiquidem putat *Pana* Etrufcum fine cruribus, aut pedibus humanis numquam inveniri: fin autem id fentit, ex iis notis, quæ *Pani*, aut alteri cuipiam Deorum congruunt, aliquam in eorum fimulacris nonnumquam omitti, aliquam apponi aliquando præter morem nobis cognitum, non diffentiam; utriufque enim rei hujus exempla habemus in his pateris. Ceterum non ita religiofos fuiffe Etrufcos arbitror, ut crimini fibi verterent, fi Deos filveftres hircinis aliquando pedibus fingerent, qui caudam iifdem tribuerent, præfertim fi *Panos* formam, & cultum ab Ægyptiis accepere, ut opinari videtur *Gorius*, apud quos *Pan Mendes* vocabatur, quæ vox idem fonat, ac *hircum*. Id ipfum autem indicio mihi eft *Pana* hunc effe, de quo loquimur, quòd cùm humanis pedibus *Faunos*, *Satyrofque* Etrufci ut plurimùm finxerint, huic ungulam hircinam, & bifidam tribuerint tamquam *Panis* notam præcipuam, caudam verò equinam, capillofque jubæ inftar effufos, ut patrium morem fervarent; femiferos enim hujufmodi equi potius, quàm hirci fimilitudinem referre voluerunt.

(7) Quid *Pani* cum lyrâ, inquiet aliquis? Ego verò alienam non effe arbitror a filio Mercurii, præfertim *tetrachordon*, qualem hic idem Deus invenit, quandoquidem parentum artes, & ftudia fequi liberi confueverunt. Scio *Pana* fiftulæ repertorem fuiffe, non prius tamen, quàm *Syrinx* Nympha converfa in eam eft, quam cùm alloquitur in hac paterâ, eidemque lyræ fono blanditur, evincitur profectò illum ante fiftulam inventam paternæ hujus artis expertem apud Etrufcos non habitum. Innuit id ipfum, ut reor, *Paufanias in Arcad.*, ait enim, *in Parthenio monte, ubi Panos delubrum fuit, teftudines fuiffe lyris conficiendis maximè idoneas, a quibus tamen incolæ abftinerent, quòd putarent Pani facras eas effe*. Quorfum autem hæc religio, fi lyra *Pani* curæ non fuiffet, præfertim qui Muficus effet, & Baccho chorum duceret? Parum autem fuiffet Muficus, fi tantùm fiftulâ ceciniffet.

(8) *Syrinx* cum amaretur a *Pane*, eaque hunc fugeret, converfa apud Ladonem fluvium in calamos paluftres eft, quos ille primùm fingulares, mox feptenos cerâ conjunctos inflando apud Paftores, & Mænades plurimum inclaruit. Hæc referri ab hujus pateræ Nymphâ mihi dubium non eft; oculi enim, geftus, inceffus *Pana* averfantis mirificè conveniunt cum fabulâ, quam narrat *Ovidius Metamorph. lib.* 1.

(9) Bacchi focium, & confiliorum arbitrum in *dial. Luciani Pan* fe profitetur *Mercurio*. Hanc inter utrumque conjunctionem oftendi arbitror ab artifice Tigri fupra *Panos* caput cælatâ, paterâque pampinis, & uvæ racemis circumdatâ. Auxilio prætereà Athenienfibus fe ait fuiffe in pugnâ Marathoniâ, & ab iis tamquam donum militare antrum accepiffe, quod fub arce erat; ideo cultus ab iifdem & annuis quibufdam facris, & ludis æquè ac, Minerva, & Prometheus, quos qui peragerent, lychnum, ut *Ariftophanes* ait, feu facem geftantes currebant per urbem, hac tamen lege, ut ii victores prædicarentur, qui eam ad propofitum ufque terminum inextinctam tuliffent. *Herodot. lib.* 8. Eft apud nos lucerna fictilis fanè præclara, in quâ eques *lychnophorus* concito curfu hunc ludum exercet. Primi tamen omnium, *Herodoto* tefte, *Athenienfes Pana* coluerunt, deinde *Arcades*, poftremò *Romani* Lupercalibus in ejus honorem inftitutis. Addam hoc loco, quod narrat *Plutarc. in comment. de Oracul. defectu*; *Thamnum quemdam Ægyptium, cum vela faceret in mari Achaico, voce incertum unde emiffâ, ter fuiffe admonitum ut terram verfus inclamaret, Pana Magnum obiiffe; quod cum is feciffet, ingentes ftatim in mari gemitus, & ejulatus effe confecutos*. Id referunt aliqui ad fanctiffimi Reparatoris noftri mortem, quæ per eos dies acciderat Tiberio Principe, & quæ Ethnicæ fuperftitioni, malorumque Dæmonum imperio finem attulerat.





Ærea F. I

J. Bohum Sc.

TABULA XII.



Uod ænigmati ſimile cælavit artifex in hac paterâ duabus adjectis extra circulum *Sphingibus*, ut rei propoſitæ obſcuritatem [1] indicaret, id nobis *Plato* interpretabitur, quemadmodum *Oedipus* olim primæ illius *Sphingis* [2] ænigma *Thebanis* [3] explicuit. Hic hominis vitam bigis comparans [4], aurigam quidem ſtatuit *Jovem* a quo, ejuſque adminiſtris, *Diis* ſcilicet, & *Dæmonibus*, animi principia, ſeu vires ad agendum incitantur; ex duobus autem equis alterum bonum ait eſſe, alterum malum, & ad terram vergentem; quibus verbis id, opinor, ſignificat, foveri quidem hominem Numinis auxilio, & ad virtutem excitari: quod verò præditus idem ratione ſit, quâ ſurſum erigitur, nec ſenſibus careat, quibus ad terram deprimitur, ideo fieri, ut nonniſi gravatè, & laborioſè provehatur. Id pateræ artifex ut explicatius oſtenderet, *Spectra* [5], equis curренti-

(1) Obſcura fuit *Ægyptiorum* theologia, quòd & per ſymbola traderetur, & variis conſtaret, diſcordibuſque Scriptorum commentis: idcirco ante eorum Templa *Sphinges* apponi conſueverunt. *Coelius Rhodiginus To. 1. pag.* 347.

(2) *Sphinx* monſtrum fuit *Typhone* natum, & *Echidna*, ut ait *Hygin. c.* 131. e *ſimiarum* autem genere, ut ſcribit *Diodorus*, nec formâ ab eâ, quæ pingi ſolet, diverſâ, faciem enim puellæ habuit, alas avium, reliqua canis. *Sphinges* in pateris nunc primùm vidi.

(3) Propè *Thebas* hoc monſtrum conſediſſe fabulantur in ſaxo, quod viæ immineret, ex quo tranſeuntes aggrediebatur. Civibus tanti mali finem quærentibus *Apollo* reſpondit, non priùs factum iri, quàm ænigma explicaretur, quod *Sphinx* propoſuiſſet. Hoc autem ejuſmodi fuit: Quidnam illud eſſet, quod primò quadrupes, deinde bipes, poſtremò tripes incederet? *Oedipus*, qui præmiorum ſpe adductus ad *Sphingem* acceſſerat, ſtatim repoſuit; hominem eſſe, qui infans manibus reptat, & pedibus; cum adoleverit, pedibus tantùm graditur; ubi verò ſenuerit, pedibus, & baculo. His auditis *Sphinx* ſe præcipitem e ſaxo dejecit.

(4) Pluribus hanç allegoriam *Plato* proſequitur in *Phædro*, quâ Deos etiam complectitur, ait enim; *Deorum equi boni ſunt, aliorum promiſcui*. Hanc autem affert rationem, quòd illi facilè incedant æquis librati ponderibus, & frœnorum ductum ſequantur; non ita verò qui ſunt hominum; *gravatur enim*, inquit, *equus pravitatis particeps ad terram vergens, & ipſo pondere inclinans*. Dixit autem prius, *equorum alter bonus, & pulcher, & ex talibus conſtans; alter contrarius, & ex contrariis; quò fit, ut & gravis, & difficilis ſit vectura noſtra*.

(5) Metu, & voluptate a recto virtutis curſu facilè abduci, aut retardari conſuevimus; quod utrumque oſtendi opinor a duobus hujus pateræ ſpectris, conformata enim ita ſunt, ut alterum leni, & imberbi vultu inſidias ſtruere, alterum gravi, & virili aſpectu, ſed monſtroſo prorſus reliquo corpore, perterrefacere videatur. Rectè igitur ſeſſor elatum illi

rentibus utrinque adjunxit, quæ nisi animus (sic enim sessorem interpretor) strenuè vicerit, nec fidem, prudentiam, & sapientiam vitæ duces, & comites habuerit, quas *Canis* innuit, *Serpens*, & *Noctua*, frustrà cucurrerit, aut coronam speraverit, quam *Genius* (6) ponè volans ostentat.

II. Est apud *Ovidium* epistola *Oenones* ad *Paridem*. Hic cum eâ in *Idâ* consueverat (7), a quâ didicit etiam, fatidica enim fuisse fertur, si in *Græciam* navigaret, patriæ incendium secum inde (8) relaturum. Jam verò, qui primo loco assidet, *Paridem* esse nemo negaverit, siquidem pileum inspexerit, juvenilem vultum, & reliquam corporis habitudinem, quâ vulgò *Paris* ab Antiquis describitur. Hæc in *Æneam* non cadunt, si quis de eo, aut de *Sibyllâ* cogitet hoc loco. *Phrygem* item dixerim, qui sedet ex adverso, sed *Paridis* asseclam, amictu enim penè fœmineo est; breviori (9) certè, quàm qui generosum virum deceat. Cum igitur *Paridis* cum *Oenone* familiaritas nota Antiquis fuerit, ut habemus ex *Dicty*, & *Ovidio*; incendium verò *Trojæ*, & quæ de eo fuerant vaticinia tàm pervulgata essent omnibus, cur opinari non possimus, *Oenonem* (10) ad *Paridis* colloquium adeuntem potius, illumque a transitu in *Græciam* deterrentem significari nobis hac paterâ?

illi flagellum intentat, & aversatur, hoc parvi facit, & præterit.

(6) *Genium* sine alis præsertim volantem notatu dignum puto; nec enim in antiquis monumentis hujus rei exempla facilè occurrent.

(7) Pastor habitus in *Ida* monte *Paris* tamdiu est, donec in agonali certamine superato *Hectore*, & ob id gladio ab eodem irato petitus, aperuit, quinam esset, probavitque oblatis crepundiis, cum quibus exponendus *Priami* imperio traditus *Archelao* servo fuerat.

(8) Accidit id quidem, sed non *Helenæ* culpâ, ut scribit *Herodotus*; viro enim absente veniens in *Græciam Paris Spartam* vi cæpit, *Helenamque*, cujus amore incensus fuerat, invitam, ac reluctantem secum abduxit; idcircò post *Trojæ* excidium recepta a *Menelao* est.

(9) Vestem adeo brevem adhibebant quidem etiam mulieres, sed interiori, talarique tunicæ superinductam, solam verò numquam. Id ipsum videre est in figura, quæ propior est *Paridi*, & quam *Oenonem* putamus.

(10) *Caliendri Phrygii* genus puto, non cassidem, quidquid illud est, quo *Oenones* socia caput tegit, etsi accedat ad aliquam cassidis similitudinem.



Æra T. I. J. Beheim sculp

TABULA XIII.



Edentem *Jovem*, & nubibus[1] circumdatum ſtantes medium tenent *Juno*, & *Hercules*. Quot ea laboribus hunc, quamdiù vixit, exercuerit, manifeſtius eſt, quàm ut commemorari oporteat hoc loco. Depoſita tandem ſimultas omnis fuit, poſtquàm *Hercules* in *Oeta* conflagravit, & inter Deos[2] receptus eſt. Hunc reditum amborum in gratiam docemur hac paterâ; quod ipſum ſignificat olivæ ramus, quem *Juno* manu tenet. Sed ad antiquitatis teſtimonium notanda multò magis vocum inflexio, & characterum forma, quâ ſuum cuique nomen tribus his Diis inſcribitur, nam, præterquamquod eorum ductus ad *Etruſcorum* rationem accedit, *Herceles* non *Hercules*, *Jovei* non *Juppiter* legitur patrio etiam caſu, antiquo ſanè more. Ad imum præterea *Jovis* tribunal *Terminum*[3] ex unâ parte, calathum, ſeu modium[4] capite præferentem, ex alterâ *Priapum* appoſitos cernimus, vetuſtiſſimos ſcilicet *Ethnicorum* Deos.

II. De

(1) *Jovem Homerus* Νεφεληγερέτιν appellat, quod nubes ſuſcitet, & quoquoversùs impellat. Cum autem *Juppiter* idem etiam ac aer apud *Mythologos* ſit, appoſitè illius caput in hac paterâ nubes circumvolitant.

(2) Conſentit cum hac paterâ marmor titulo: Ἀνάπαυσις τῦ Ἡρακλῆος, & ejuſdem laboribus græcè inſcriptis eximium, quod egregiè interpretatus eſt *Rmus P. Eduardus Corſini*; ubi in Deorum cœtu intrà leoninam pellem ſculpto *Hercules* unà cum *Hebe*, aliiſque aſſidens cernitur.

(3) Magno apud Veteres in honore *Terminus* fuit, cui proinde ſacrificare moris erat, ut liquet ex *Horatio*: *non agnâ feſtis cæsâ terminalibus*, & coronas apponere, ut in hac paterâ eſſe factum videmus. Scimus autem hunc nec *Jovi Capitolino* loco cedere voluiſſe.

(4) *Modius* inſigne apud *Ægyptios Serapidis* fuit. Quod verò communicatum cum aliis etiam Diis ſit, aut principibus viris, vel fœminis; putat *Cl. Bonarotius* in ſuo de Nummis maximi moduli opere, veterum Deorum ſimulacra lapides fuiſſe *Terminorum* inſtar in planum exectos in ſummo; ad eorum autem ſimilitudinem alia deinde ſubſecutis temporibus facta eſſe, capite quidem diligentiùs expreſſo, ſed complanato vertice, ut *tutulum*, *modium*, aut quidpiam hujuſmodi impoſitum ſuſtinerent ornatûs gratiâ. Cum verò agamus de *Termino*, hunc autem ſciamus poſt ejectum e Cœlo *Saturnum* in terras delapſum, ipſumque Paſtorum, & Agricolarum de paſcuis, & agris rixantium diſſidia ſuſtuliſſe, quidni conjici etiam poſſit *calatho* ab iiſdem ornatum, vel *modio*, ut pace conſtitutâ frugum ei copiam referrent acceptam? Unus ex his apud nos eſt æreus, quatuor circiter unciarum cum *modio*; quæ quidem monumenta ærea non facilè reperiuntur.

II. De *Vulcano*[5], & *Minervâ* hìc agi fuſpicor cùm e diademate alterius, & chlamyde poſt humeros rejectâ, cæteroquin nudi Heroum more, aut Deorum, tùm ex alterius armillâ, & amictu[6]. Geſtus deinde viri quidem indignantis, reluctantis verò mulieris[7] conſentire videtur cum fabulâ de *Vulcani*, & *Minervæ*[8] certamine, quòd hæc ei nubere recuſaret. Poſtremò angues, quos artifex[9] pateræ ſubdidit, aliquid de *Erichtonio*[10] videntur innuere, qui ex eâ diſcordiâ natus eſt ſerpentinis pedibus. Hæc cum ſint, moveor, in re maximè obſcurâ, cujuſmodi pleraque paterarum argumenta eſſe ſolent, ut id ſentiam, quod initio propoſui.

(5) Novum videri non debet, ſi *Vulcanus* hoc loco ſine forcipe, aut malleo, *Minerva* autem ſine caſſide, & haſtâ proponitur. Hæc id genus inſignibus caret etiam *Tab. XVII.* & *XVIII*; in iiſdem verò *Mercurius* talaribus, & petaſo. Præterea ſi tempus ſpectetur, & id, quod ſibi propoſuerat *Vulcanus*, in neutro hæ notæ opus fuerunt.


(6) Præter faſciam capiti circumductam, quæ dignitatis ſignum fuit, & imperii, notandum in hac muliere genus veſtis eſt, quæ alibi non facilè occurrerit; poſtrema enim ejus pars conciſa in ſinus eſt undarum inſtar e mari leniter aſſurgentium, quos ambit tænia per circuitum aſſuta. Nec omittendæ manicæ ſunt, quarum quæ dextero cubito adſtringitur, ita defluit, & deſinit in acumen, quemadmodum eas Italæ olim matronæ geſtare conſueverant, tenuiſſimis filis lineis acu, & opere Belgico intextis elaboratas.

(7) Quod mulier elata manu tenet, non arbitror bacillos eſſe, quibus, crotalorum inſtar, inter ſe colliſis ſonus edebatur, ſed quiddam artificis oſcitantiâ, aut temporis injuriâ non ſatis perſpicuum, ut de eo fieri judicium poſſit.

(8) *Jovem* ajunt, quòd Diis contra *Gigantes Vulcanus* arma miniſtraverat, nihil illi ſe negaturum fuiſſe pollicitum: eo *Minervæ* nuptias petente, *Jovem* quidem annuiſſe, juraverat enim per *paludem Stygiam*; *Minervam* tamen clam monuiſſe, ut reluctaretur, & nemini nuberet. Hinc inter hanc, & *Vulcanum* diſcordia, novaque turpiſſimè fabulandi *Græcis* occaſio.

(9) In aliquibus hujus opuſculi pateris ſæpe quædam animadverti, quæ non temerè videantur appoſita, ſed ut indicio ſint, quid in argumentis earum interpretandis ſequi debeamus. Patera, ubi de *Bacchi*, & *Ariadnæ* nuptiis agi conjecimus, hederâ circumornata eſt, quæ huic Deo ſacra fuit. Quæ diximus in aliâ de *Syringe*, & *Pane Bacchi* ſocio, innui videntur a Tygre, & uvæ racemis ibidem per gyrum adjectis. Alibi *Minervam* accepimus ex *Nat. de Comit. pag.* 162. pro aere, præſertim verno; at flores non deſunt, qui, ut id oſtendant, pateram circumſepiunt. Altera eſt duobus inſignis equis decurrentibus uno ſeſſore, aliiſque pluribus additamentis, quæ videri poſſunt ſuo loco. At *Sphinges* duæ, quas artifex pateræ gyro ſuppoſuit, facilè oſtendunt, ænigma id eſſe, nec hiſtoriæ, ſed allegoriæ ope ſolvendum, ut fecimus. Dicet aliquis; iſta ſigna ita congruunt, quia pateras interpretatus ita es. At niſi interpretatus ita eſſem, iſta ſigna non ita congruerent, ſed interpretationem ipſam refellerent. Redeo ad pateram, quam habemus præ manibus. Angues duo implexi, averſis tamen capitibus, diſcors profectò conjugium, cujus cæteroquin Symbolum ſunt, apertè nobis ſignificant, nec abludunt ab *Ericthonio*.

(10) Hunc *Minerva* recens natum ciſtâ incluſum, *Aglauro*, *Herſæ*, & *Pandroſo* ſororibus cuſtodiendum tradidit, admonitis tamen, ne ciſtam recluderent, &, quid in eâ aſſervaretur, curioſius inſpicerent. Sed, cum primæ duæ mandatum hoc neglexiſſent, viſo *Erichthonio* in furorem ſtatim ita actæ ſunt, ut ex altiſſimo arcis loco ſe præcipites dederint, ut ait *Pauſan. in Attic.* Idem cum adoleviſſet quartus Athenarum Rex fuit, & *Panathenæa* in *Minervæ* honorem inſtituit; *Apollod.* 1. *c.* 3. etſi non deſint, qui factum id velint a *Theſeo*. Dicitur etiam primus quadrigas excogitaſſe ad occultandam pedum turpitudinem, ut ſcribit *Virgilius* 3. *Georgic.* *Primus Erichtonius currus, & quattuor auſus Jungere equos &c.*



Ærea T.I.

Ign. Benedetti Sculp.

TABULA XIV.



Utat *Cl. Gorius* in ſuo Muſeo, ubi de hac paterâ loquitur [1], in quâ ſcriptum Etruſcè eſt *Menrea*, & *Laſa Fecu*, adoleſcentem, qui eſt ante *Palladem Genium* eſſe Fecialem, adductus opinor eâ vocum affinitate, quæ eſt inter *Fecu*, & *Fecialem*. At, ſi hac ducimur, fallax interpretandi genus ſequemur, præſertim in idiomate, in quo non ex nominibus figuras, ſed ex figuris nomina, & eorum ſignificationem conjicere oportet. Unde autem præterea novimus *Fecu* idem eſſe, ac *Fecialem*, aut *Genium* Etruſcè *Laſa* dici? Alatum brevi tunicâ, ſuccinctâque juvenem video, monili, & armillis, bacchatiſque [2] ſpectandum inauribus, qui *Minervæ* florem neſcio quem, lilio, ut videtur, nondum floreſcenti ſimilem offert. Hæc utrum ſint *Fecialis* inſignia, ut ſaltem ex his *Etruſci* nominis ſenſum poſſimus conjicere, alii viderint. *Minervam* quidem fœmineis omnibus munditiis æquè, ac militari ornatu, quantum Veteres ei ſolent tribuere, inſignem aſpicimus, & ob id ipſum fortaſſe idoneam, quam *Genius Fecialis* conveniat; præſertim cum bonarum artium Dea ſit, ac proinde pacis etiam, & fœderum. Quare, ſi cui *Gorii* ſententia probabitur, equidem repugna-

(1) Pulcherrimæ hujus pateræ exemplum jampridem acceperat *Gorius* a *Dom. Gregorio March. Capponio Forerio Pontificio Majori*, qui eam cum reliquo ſuo Muſeo poſtremis tabulis *Kirkeriano* legavit *an.* 1746. Viri beneficentiſſimi mentionem grati animi, & æternæ memoriæ cauſsâ facimus paucis hoc loco, impenſius idem ubique facturi, quamdiù erimus.

(2) Inaures ab hominibus uſurpatas raro animadvertimus in veterum monumentis. Hæc, etſi levia, videantur, plurimum proſunt, ſi adnotentur.

pugnare non aufim : fed in re dubiâ, incertâque ut aliquid de meo addam, æquè tamen incertum, & dubium, animadvertendum exiftimo, *Minervam* non in folo [3] ut alatum adolefcentem, confiftere, fed infidere aeri [4], a quo circumfunditur, fua levitate fufpenfam. Jam verò, pro aere ipfo *Minervam* a *Mythologis* fumi, aeris autem magnam vim effe, & neceffariam omnibus, qui vivunt, & augefcunt, nemo ignorat. Id igitur fufpicor *Etrufcos* innuere nobis hac paterâ voluiffe: & quoniam aer vere eft ad amœnitatem, & ad ftirpes fovendas accomodatior, id ipfum oftendi puto tunicâ [5] *Minervæ* ftellulis, feu potius flofculis pictâ, & vafe illo pateræ appofito, ex quo præter rofas fupernè erumpentes duo utrinque germina prodeunt, quæ invicem innexa pateram ambiunt, & in florem fatis amplum definunt. Quod ad alatum adolefcentem pertinet, eum Deæ adminiftrum effe cenfeo, feu ipfam vim aeris, celerem, & expeditam, cujus ope flores proveniunt, & germina.

II. Saltatores [6], ut opinor, hi funt, qui prodeunt in fcenam brevi tunicâ, eâque altius præcinctâ, nec fine reliquo ornatu [7], quo id genus homines utebantur in *Etruriâ*.


(3) Areæ craffitudo, cui alatus adolefcens infiftit, prætexta eft opere quodam veluti vimineo, inftar ciftarum noftratium; id ornatus dumtaxat gratiâ factum exiftimo.

(4) Deos, aut Deas in aere fedentes non facilè oftendunt nobis veterum monumenta. Præter hanc in paterâ a *Dempftero*, & *Gorio* relatâ *Juppiter*, cum ex ejus capite *Pallas* nafcitur, ita fedet: ita etiam *Juno* apud nos in pictâ muri parte.

(5) Hujufmodi ftellatæ veftes, aut pictæ habentur etiam fuperius *Tab. II. & III.*

(6) Saltandi originem ab ipsâ naturâ repetendam facilè agnofcet, qui pueros ubique gentium animadverterit propter effervefcentis vim fanguinis, aut quod lætius aliquid ipfis acciderit, a faltu fibi temperare non poffe. Acceffit prætereà difciplina, quæ cum in regendis pedum, & corporis totius motibus, tum in imitatione pofita maximè eft: hinc ex variâ hominum conditione varia quoque inventa faltatoriæ artis genera, quæ non ad civilem folùm vitam pertineant, fed etiam ad militarem. Huc rejiciendi fortaffe funt faltatores, quos videmus in hac paterâ; videor enim mihi parmulas, quibufcum faltent, agnofcere ad eorum pedes refupinatas. Sed de hoc genere egimus *Tab. IX.*

(7) In anaglypho marmoreo hujus Mufei, a tergo perfonati cujufdam, & magnâ loricâ protecti, qui militem gloriofum agere videtur, latus protenditur pannus, quem puto loco fcenæ effe.



Erea II

Ign. Benedetti f.

TABULA XV.



Icet hæc, & ea patera, in quâ *Paridem*, & *Oenonem* colloquentes agnovimus, tàm ſimiles ſint, ut geminæ[1] videantur, in hac tamen *Paris* amictus tunicâ eſt, in aliâ non item, utpote qui familiarius in *Idâ* ageret, quàm deinde *Lacedæmone*. Calantica mulieris, quæ aliam *Paridi* adſtantem comitatur, radiis aliquot, ubi fronti ſubſtringitur, videtur ornata, paucioribus tamen, quàm ut lauream coronam putem; hæc enim in *Oenonem* non cadit, nec in ejus pediſſequam. Suſpicor itaque, quoniam ejuſdem artificis in utrâque paterâ manum mihi videor agnoſcere, utriuſque etiam argumentum eſſe conjunctum, & de *Helenâ* hìc agi, ad quam ne accederet, *Oenone Paridem* deterruerat malorum præſagio, quæ poſtea contigerunt; mutuis enim alloquiis, cum *Spartam* venit, *Helenæ* deſiderio captus ita eſt, ut præ eâ patriam, & regnum nihili duxerit. Quod ſi hæc regio capitis ornatu ancillam internuntiam ſubſequitur ad *Paridem* aditura, factum id arbitror ab artifice, ut *Helenam* eam eſſe facilius noſſemus. Quamquam quid, ſi, mutatis partibus, quam pediſſequam diximus, *Helenam* putemus, eam verò, quæ redimita eſt[2], *Venerem*, quæ illam *Paridi* ſpoponderat, & quæ occultâ vi utriuſque animos ad amorem

(1) Pateras eodem prorſus argumento nullas hactenus vidi, ſimiles verò non paucas. Hujuſmodi ſunt, quæ *Hiſtriones* in hoc opere nobis exhibent; ſunt & hæ duæ, de quibus diſſerimus. Ut autem in geminis fratribus ineſt ſemper aliquid, ex quo alter ab altero facilè dignoſci poſſit, ita & in pateris uſuvenit.

(2) Corona radiata in uſu fuit apud Etruſcos. Eâ Venus præcincta eſt *Tab.* 129. *Muſei Goriani*. Duo item Etruſci proceres *Tab.* 175. galeam gerunt ita propemodum radiatam, ut hæc mulieris calantica eſt.


rem incitaret [3]? Hæc æqui, bonique confulet Lector, fi meminerit, multò plura effe, quæ nos lateant in veterum monumentis, quàm quæ difcendo perceperimus.

II. Dubius hæret quid *Cl. Gorius* de hac paterâ opinetur, qui ejus exemplar e *Ciatti* libro de *Antiquitatibus Perufinis* [4] in fuum *Mufeum Etrufcum* transtulit; tantùm refert quid *Ciatti* fentiret; nihil autem ftatuit; quòd, ut ait, pateram non infpexiffet. In re dubiâ, quid fi quis dixerit *Ariadnen* hanc effe, quæ ad æftuantis pelagi fluctus, quos *Ciatti* putavit effe volumina, fedet in infulâ *Naxo* a *Thefeo Athenienfium* Regis filio deferta? Hanc *Bacchus* pofteà uxorem duxit, quem humanâ ftaturâ majorem, utpote Deum, ad illam accedentem videmus. Quam verò coronam *Genius* manu attollit, eam effe fufpicor, quam *Bacchus* a *Venere* acceptam [5] *Ariadnæ* donavit tandem inter fidera referendam. Hæc mihi videntur aptius cum pateræ typo congruere; præfertim cùm eam hederâ circumdatam afpiciam.

(3) *Palladem* habemus apud *Homer. Odyff.* 11. quæ fumptâ *Mentoris* formâ *Telemacho* adeft. *Iris* apud *Virgil. lib.* 5. *Fit Beroe Ifmarii conjux longæva Doricli*. *Alecto lib.* 7. *Calybe Junonis anus, templique Sacerdos*; utraque ut Trojanos perderet. Sed hæc formæ commutatio Veneri neceffaria non fuit, potuit enim tacito inftinctu, & a nemine vifa, ut *Alecto Amatam*, fic ipfa *Paridem* quoquò vellet impellere. Verùm, fi hæc ipfa occulta vis manifefta fieri intuentibus debuit, figno aliquo opus fuit, fcilicet vel ancillari formâ, fed coronâ tamen adjecta, vel alio quovis indicio, ut fub eâ fpecie aliquid amplius latere fufpicati, quid fibi artifex fignificandum propofuiffet, tandem affequeremur. Ceterum verifimilior mihi ea opinio eft, quam primo loco pofui. Pars coronidis, quæ apparet in hac paterâ, ad templumne aliquod pertineat, an ad regias *Menelai* ædes non facilè dixerim; ab hac certè interpretatione noftrâ non videtur abludere.

(4) Centum, & amplius ab hinc annis hanc pateram verâ tamen magnitudine multò minorem retulit in fuum librum, quem de *Antiquitatibus Perufinis* fcripfit *Fr. Ciatti Ord. S. Francifci*, quos *Conventuales* vocant. *Æacum* in eâ hic auctor agnovit pro tribunali fedentem explicitis interius ad caufas cognofcendas voluminibus; coram verò adftantem *Mercurium*, qui mortui ad eum animam in judicium adducit. De hac *Mercurii* in mortuos poteftate, qui propterea Νεκρωπομπός dicebatur, meminit *Horatius lib.* 1. *od.* 10. *Virgâque levem coerces Aureâ turbam fuperis Deorum Gratus, & imis*. At quem *Ciatti Æacum* putat, mulier manifeftò eft, ut e capitis ornatu patet, ex inauribus, & ipfo pectore; neque verò ea fedet pro tribunali, fed fuprà pedum calcem adgeniculata more fœmineo. Quis autem *Mercurium* agnofcat, quem fine petafo videt, fine caduceo, aut ullo alio infigni, quo Deorum ille nuntius ornari confueverat? Nam quod pertinet ad adolefcentem, qui commentitium hunc *Mercurium* fubfequitur, eum e mortuorum numero unum effe nemo dicet, cum alatus fit, fed potius *Genium*, qui præeunti fubferviat.

(5) *Hyginus lib.* 2. *pag.* 22.



Ærea T. I. J. Belcurn Sculp.

TABULA XVI.



Rave quod haberi debet, & in hominibus non ferendum, ut propter inanis gloriæ cupiditatem contendant inter ſe, id *Ethnicos* turpe Diis, non putaſſe teſtis eſt, ut opinor, hæc patera; conſidunt enim in eâ hinc *Mercurius* (1), illinc *Apollo* (2) de lyræ inventione (3), quam ſibi uterque vindicabat, acturi coram *Junone* (4), & *Minervâ*: quo quidem commento Veteres, non Deorum, qui nulli erant, ambitionem prodebant, ſed coarguebant ſuam: quis autem ſibi vitio vertendum putaret, quod in Diis veneraretur? Niſi forte illud potius innuere voluerunt, magnum eſſe novi aliquid excogitare; id ipſum verò perficere multò majus, ut, qui id fecerit, is laudem, ac ſi rem totam inveniſſet, mereri videatur.

II. Tres tantùm *Muſas* (5) Priſci bonarum artium anti-

(1) Baculus, quem tenet *Mercurius*, *Caduceum* eſt, quod muneris loco pro lyrâ ab *Apolline* acceperat. *Lucian. in Dial. Apoll. & Vulc.* Eâ autem vi fuiſſe dicitur, ut ejus interpoſitu ſtatim rixantes in priſtinam amicitiam redirent. *Mercurii* ſella e *Curulium* genere eſſe arbitror, quorum exempla nec alibi deſunt, nec in noſtro Muſeo.

(2) Occurrit hic quidem non raro brevi capillo; ſed prolixo etiam aliquando fuiſſe, & per collum diffuſo docet illud *Horat. in Epod. od.* XV.

Intonſoſque agitaret Apollinis aura capillos.

Apollo enim idem habebatur, ac Sol, qui radios latè diffundit, & numquam conſeneſcit. *Juno* item benè capillata, & pexa eſt in hac paterâ. Non abſimilem capitis cultum in *Cleopatrâ Vaticanâ* videre quis poteſt, & in aliâ hujus operis paterâ, quam conſule *Tab. XIX*.

(3) Lyram a *Mercurio* inventam teſtatur *Pauſanias in Eliac.*, & plerique fermè omnes. Ejus ſtructura ita deſcribitur a *Luciano* in eodem *Dial.*: *teſtudine mortuâ alicubi* (ad Nili ripam) *inventâ muſicum inſtrumentum ex eâ ita confecit. Elatis utrinque ad oſſei integumenti oras bacillis, & jugo his ſuperimpoſito, ex eo autem ſeptem chordis ſuprà teſtudinis cavum ſuſpenſis, & intentis jucundum quiddam modulabatur, & concinnum.* Putant tamen aliqui, ut ſcribit *Natalis de Comit. Myth.* 5., Lyram quatuor dumtaxat chordarum inventam a *Mercurio* lineis filis ab eo adhibitis chordarum loco, quam cum *Apollini* dediſſet pro bobus, & pharetrâ eidem ſubreptis, ut ait *Lambin. in Horat. lib. I. Od.* 10., iſque ex tetrachordo lyram eptachordon, utpote Muſices peritiſſimus, effeciſſet, gravis inter eos ſimultas exorta eſt, cum uterque Lyræ inventæ ſibi gloriam arrogaret; donec *Junonis*, & *Minervæ* interventu dirempta lis eſt, & ſua cuique laus impertita.

(4) Hac allegoriâ videntur docere *Mythologi*, controverſias auctoritate, & ſapientiâ componi facilè poſſe.

(5) *M. Varro*, *Servius*, & *Cenſorinus de die natali* tres tantum *Muſas* enumerant, item *Plutarchus Sympoſ. cap.* 102., ſed illi hunc numerum, & vocis ſignificationem ad tria ſoni diſcrimina referunt, hic ad tres diſciplinas Philoſophiam, Rhetoricam, & Mathematicam, quæ ſingulæ cum in tres alias facultates dividantur ab *Heſiodo*, hinc iſte canit in *Theogon.*

Mnemo-

antiſtites eſſe voluerunt, *Meleten*, *Mnemen*, & *Aoeden*, meditationem nimirum, memoriam, & harmoniam. Totidem occurrunt nobis in hac paterâ, quæ proinde magnæ antiquitatis cenſenda, & pretii eſt. His autem interjectam, & mediam *Minervam* (6) aſpicimus, ut quemadmodum olim *Ægyptii* mentis ſuæ ſenſus, & penitiorem doctrinam arcanis quibuſdam notis patefacere conſueverant, cum aliud objicerent oculis, aliud animo intelligendum proponerent; ita nos etiam fictis Dearum perſonis edocti illud in re præſenti teneremus, excogitare quæ recta ſunt, utilium reminiſci, rerum, verborumque concentum, & numerum aſſequi ſine prudentiâ, & ingenio neminem poſſe. Quod ad Dearum ornatum attinet, ut intelligatur quanta inter eas cognatio intercedat, veſtitu (7) omnes eodem ſunt, duplici tunicâ talari ſcilicet, & breviori ſuperinjectâ ſuccinctæ, quas quidem tunicas ita vittæ quædam flexu vario diſtinguunt, ut cum supernè per oras recurrendo fœmineum veluti thoracem coeuntes effecerint, iterum divaricatæ in imum protendantur. *Minerva*, ut dignoſci a ſociis poſſit, galeâ, haſtâ, & clypeo, non ſine *Meduſæ* capite, armata eſt. Duæ ex *Muſis* vittis intexto pileo tectæ ſunt, tertia *Phrygio* (8). Quæ pars ædificii apparet, ea, quidnam ſit, non ſatis intelligi poteſt.

Mnemoſynen pulchram dilexit Juppiter, ex quâ
Inde novem Muſæ claræ naſcuntur.

Quamquam *Cicero de Nat. Deor. Muſas* non ab uno, eodemque *Jove*, ſed alias ab aliis (plures enim *Joves* fuerunt) natas putat. *S. Auguſtinus l. 2. de doctr. Chriſt.* refert ex *Varrone* civitatem quamdam (*Sicyon* hæc fuit ex *Auſonio*) tribus artificibus *Muſarum* ſtatuas ita locaſſe, ut ſinguli ternas facerent, tres ex eo numero pulchriores empturam, quòd verò placuiſſent, coemiſſe omnes novem, quibus deinde *Heſiodus* nomina impoſuit. *Non ergo*, inquit S. Doctor, *Juppiter novem Muſas genuit, ſed tres fabri ternas fecerunt*. In tribus autem *Muſis* tria & ipſe ſoni genera videtur agnoſcere, qui vel voce fit, vel flatu, vel pulſu. *Pauſanias* quoque in *Boeotic.* trium artificum meminit, qui ſinguli ternas *Muſas* fecerunt; alias etiam tres commemorat, quas ab Aloei filiis nominatas ait *Meleten*, *Mnemen*, *Aoeden*.

(6) Hoc veſtium genus alibi vidi numquam: Virgineum putat *Gorius* nullo auctore.

(7) Pileus, qui dicitur *Phrygius*, in uſu fuit apud *Etruſcos*; unde acceperint, incertum eſt.

(8) *Minervam Democritus* allegoricè prudentiam interpretatur, ut ſcribit *Euſtatius*, quòd ab eâ hæc tria proficiſcantur, benè cogitare, benè dicere, quæ ſis meditatus, benè perſequi cogitata, & dicta.



Aeca. T I

J. Beheim Sc.

TABULA XVII.



Dſunt in hac paterâ tamquam ad judicium [1] *Deæ*, quas de pulchritudine contendentes inter ſe *Juppiter* in *Idam* ad *Paridem* [2] ablegaverat duce *Mercurio*; ne, ſi litem ipſe dirimeret, aut uxori, aut alterutri ex ſe prognatis Deabus adverſari cogeretur. Erant enim hæ *Juno*, *Venus*, & *Minerva*. Controverſiæ autem cauſa pomum aureum fuit, quod *Eris* [3] irata, eò quia in *Pelei*, & *Thetidis* nuptiis ad convivium unà cum reliquis Diis vocata non fuiſſet, clam jecit inter convivas, hac tamen lege inventori propoſitâ, quæ inſcripta in eo erat, ut *pulchriori traderetur*. Hinc altercatio [4] inter Deas prorſus fœminea, & ad eam componendam judicium. Igitur, perinde ac ſi in *Idâ* res peageretur, ſedent ex adverſo in hac paterâ *Mercurius*, & *Paris*, ambo chlamyde, quâ ſolâ teguntur, poſt tergum rejectâ, quorum prior alteri videtur *Jovis*

vis

(1) Nihil eſt apud antiquos pervulgatius, quàm hoc Dearum judicium, in quo *Paris* bis peccavit, tùm quòd earum promiſſis aures præbuit, tùm quòd conditionem accepit omnium turpiſſimam, ut *Veneri* cauſam, & pomum adjudicaret: ſpretâ enim potentiâ, quam *Juno*, bellicîſque triumphis, quos *Minerva* pollicebatur, *Helenam* pactus eſt conjugem, quæ jam *Menelao* nupſerat. Ceterum mirum videri poteſt, nullam ab *Homero* de hoc judicio in tota *Iliade* fieri mentionem, ut notat *Macrob.* 5. *Saturn.*, cum tamen ab Etruſcis ignoratum non ſit, ut conſtat ex hac paterâ, & aliâ, quam *Cl. Gorius* refert in *Muſ. Etruſc. Tom. I. Tab.* 129, niſi fortè id *Homerum* movit, quòd opinarentur olim non pauci, ut innuit *Acuſilaus*, *Venerem Græcos* in Trojam concitaſſe, ut deletâ *Priami* familiâ *Æneæ* filii in *Phrygiâ* regnarent.

(2) Cauſas *Juppiter*, cur *Paridem* controverſiæ hujus judicem deſignaret, ita affert apud *Lucian. Dial. de Dear. judicio*. *Equidem*, inquit, *judex ipſe vobis idoneus non ſum: adoleſcens autem ille Phrygius, ad quem hinc abitis, regio genere prognatus eſt, & Ganymedis hujus cognatus, ceterum ſimplex, & montanus, neque quiſquam illum cognitione hac indignum meritò putaverit*. Dixerat autem paulò ante: *Mercuri, accepto hoc pomo abi in Phrygiam ad Priami filium armenti paſtorem; paſcit autem in Monte Ida*.

(3) Factum id in Theſſaliâ Græci fabulantur; quid autem aptius ad lites ferendas inter mulieres excogitari potuit ab *Eride*, ſeù *Diſcordia*, quàm hoc pomum, quod formæ præſtantioris præmium futurum eſſet. *Vide Lucian. dial. Panopes, & Galenes*.

(4) Ibidem ita Panope loquitur. *Deæ viſo pomo, quod Mercurius e terrâ ſublatum illis oſtenderat, & epigraphe lectâ contendebant inter ſe, ac qualibet ſuum illud eſſe volebat; & niſi Juppiter ſe interpoſuiſſet, etiam ad manus res veniſſet*.

Ærea. T. I.

vis mandata proponere, hic verò de iis doceri velle ſubtilius (5), quæ ad judicium pertinerent (6). Duæ ſunt mediæ, *Venus* quidem penè nuda; reliquæ duæ (7) longo pallio obvolutæ.

II. Brevior ſine manicis tunica, eaque bis præcincta, maximè verò pulpitum (8), ſatis oſtendunt ex eo numero hos eſſe, qui in ludis, & ſaltationibus operam populo navarent ſuam. Alii eodem veſtitu, geſtuque occurrunt in hoc opere: ex quo conjici poteſt, quo ornatu (9) hi prodirent in publicum, &, cum tam ſæpe eos cælaverint in pateris, aut in vaſculis (10) pinxerint, quantâ *Etruſci* in iis ſpectandis voluptate caperentur (11). Hanc artem Romani allatam ex *Etruriâ* civitate donaverunt; hinc *ludicra* apud eos ſaltatio, *tragica*, *ſatyrica*, *pyrrhica*, & quotquot excogitari aliæ poſſunt, humano ingenio ad delectandum converſo, aut ad homines, Deoſque (12) imitandos (13) ſaltu, geſtuque, quibus fabulæ ſæpe totæ peragebantur.

(5) Novum quiddam, & inſolens putat *Cl. Gorius Mercurium* nudo capite, ſine talaribus, & caduceo exhiberi nobis in hac paterâ, & quod magis mirandum ei eſt, cum clavâ. At in hoc Antiquitatis ſtudio quid eſt, quod verè inſolens dici poſſit, & mirum, cum tàm multa deprehendantur quotidie, quæ numquam putaviſſemus a Veteribus uſurpata. Quod verò ad clavam attinet, hæc etiam Heroibus tribuebatur; quid igitur novum ſi tribuitur *Mercurio*, qui ita armatus reperitur in Ædibus Farneſianis, de quo vide *Montfaucon. Tom.* 1. *pag.* 128.

(6) Recole *Dialog. Luciani de Dearum judicio*; multa enim ibi ſunt, de quibus diſſeruerunt *Mercurius*, & *Paris*, antequàm judicium hic exerceret.

(7) *Venus* juſſa fuit a *Minerva* ceſtum, ſeu cingulum maritale deponere, hæc galeam a *Venere*; proinde nudo capite eſt, utraque tamen baccato monili conſpicua; longiori autem pallio velantur *Juno*, & *Minerva*, pudoris, ut arbitror, causâ, quo *Venus* carebat, cum imperatum eis eſſet, ut veſtes deponerent. Ædificium neſcio quod apparet in hac paterâ; id opinatur *Cl. Gorius* referre templum *Veneris* Μιγοντίδος, ſeu *Conjugalis*, quod in Inſulâ *Crane*, ubi primùm congreſſus cum *Helenâ Paris* eſt, ædificandum poſteà curavit. *Pauſan. l.* 3. *c.* 22. *Strabo l.* 9.

(8) Proſcenium fuit *locus ante ſcenam porrectus, ubi pulpitum excitatum erat, quo actores fabularum prodirent ita, ut ſcena altior eſſet pulpito, pulpitum autem altius orcheſtrâ, quæ ipſa locus erat ſaltantum.* Ita *Budæus*.

(9) Non arbitror tamen hoc uno ornatu ſaltatores ſemper uſos fuiſſe, ſed mutaſſe, cum id genus ſaltationis poſceret; hunc autem eumdem non ita proprium ſaltatorum fuiſſe, ut eum adhibere aliquando fabularum actores non poſſent. Exemplum peti videtur poſſe ex alia hujus operis paterâ.

(10) Conſule *Muſeum Etruſcum*.

(11) Filii Senatorum in ludum ſaltatorium commeabant, & illic crotala geſtantes ſaltare diſcebant. *Macrob. l.* 3. *Cicero* ſæpe meminit ſaltationis, quam tamen vitio vertit juventuti delicatæ ſuorum temporum.

(12) Horum perſonæ, & turpiora etiam flagitia per ſummam licentiam ſaltabantur in orcheſtrâ. Vide *Muſeum Etruſcum Tab.* 186., *& quæ ad hæc diſſerat Gorius*.

(13) *Virgilius Ecl.* 5. id ipſum innuit: *Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibæus*; & *Horat. Satyr.* 1. 5. ubi *Meſſius Sarmentum* irridet: *Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa rogabat*.



Arca T. I. J. Beheim Sculp.

TABULA XVIII.



Ereri [1], quam inter duas ſpicas mediam aſpicimus, terræ colendæ artem, & fruges acceptas ferunt *Mythologi*; quaſi verò prius homines, ut ajunt, glandibus veſcerentur: pravè utrumque; nam, ſi de omnibus loquimur, non defuit veri Numinis providentia [2], quæ & fruges eiſdem monſtraret, & abundè ſufficeret. Quod ſi *Cereris* [3] nomine, quam *Saturni*, & *Opis* filiam dicebant, fruges intelligere voluerunt, ſed ita ut innuerent, tempore eis opus eſſe, ut rectè proveniant, terrâ, & aquâ, quam ſitula [4], quæ *Cereri* in manu eſt, videtur oſtendere, fabuloſa quidem vox erit, ſed vera ſententia.

II. Narrat *Lucianus in dialogis*, e *Jovis* capite, quod exoratus ab eo *Vulcanus* bipenni diffiderat, *Palladem* armatam proſiluiſſe. Id ipſum deſcribitur in paterâ, quæ multò emendatior, quàm a *Dempſtero*, refertur a *Gorio* in ſuo Muſeo. At in hac noſtrâ Dea hæc tunicata oritur,

(1) *Virgilius* 1. *Georgic.*

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit, cum jam glandes, atque arbuta ſacræ
Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret.

Hæc civitas *Chaoniæ* fuit in *Epiro*, apud quam ſilva quernea *Jovis* templo, & fatidicis, ut quidam ajunt, arboribus nobilis: hanc pro qualibet, quæ uſquam eſſet ſilva, poni a *Virgilio* puto, nec enim unius querceti glandes univerſis hominibus ſufficere potuiſſent.

(2) Frequens eſt in ſacris literis tritici mentio, quas dum ad fabulas *Græci* traducunt potius, quàm capere ſatagunt, turpiter errarunt. Tritici autem ſationem, & terræ cultum victus parandi neceſſitas docuit, latèque protulit non *Ceres*, aut *Triptolemus* alatis draconibus vectus.

(3) *Ceres* ſumitur a *Virgilio*, ut nonnulli putant, pro *Luna* in *Georg.* 1., ut *Bacchus* pro *Sole*. *Vos o clariſſima mundi lumina, labentem Cœlo, quæ ducitis annum, liber, & alma Ceres.* Ab aliis ſumitur pro *terrâ*, unda a Græcis Δημήτηρ vocatur, tamquam γῆ μήτηρ *Terra mater*. Item aliis eadem θεσμοφόρος, ſeu *legum latrix* dicitur, quòd poſt frugum uſum inventi agrorum fines ſint, & de iis ceptum fuerit diſputari ab hominibus. *Lybiſſa* demum ab *Argis*; credo, quòd frugum ferax *Lybia* ſit. Alata autem eſt in hac paterâ *Etruſcorum* more.

(4) *Situlam* ut putem, non autem *menſuram* vas illud, quod *Ceres* manu ſuſtinet in hac paterâ, adducor ipsâ ejus formâ, & manubrio; menſuræ enim æreæ plures ſunt in hoc Muſeo, alias etiam alibi vidi, nullam verò hac formâ, aut flexo in arcum manubrio, quod certè impedimento fuiſſet in ſolidis, ne, ſi conferta menſura eſſet, abradi commodè poſſet.

tur, & inermis, nullâ galeâ, ſed puellari tecta calanticâ, quæ dextram *Mercurio* [5] porrigit, & quam ad lævam aſſidens *Apollo* complectitur. Quid illud ſit, quod prope Deæ caput utrinque conſpicitur, ignotum mihi eſt. Equidem ſubdubitavi, utrum ad ſellæ pertineret ornatum, in quâ *Juppiter* ſeminudus conſidet dextrâ ſuper genu impoſitâ, & lævâ barbam demulcens. At ſella hæc humilior eſt, quàm ut tam altus ornatus ei poſſit congruere; præſertim cum diviſus omninò ſit, nam de floribus, ſatis tamen imperitè deſcriptis, ſiquidem flores ſunt, cogitandum non arbitror, quos ait *Gorius* enatos, ubi Dii ortum duxerant, aut pedem poſuerant. Hoc commento ſignificare nobis Veteres voluerunt, bonarum artium diſciplinas non ad humani ingenii inventum, ſed ad Divinæ mentis ſapientiam referendas eſſe; & quoniam *Mercurius* quoque, & *Apollo* earum Præſides habiti ſunt, præcipuè verò alter mercaturæ [6], & eloquentiæ, alter medicinæ [7], & muſicæ, idcircò ab ipſo ortu ſocietatem cum utroque inire *Pallas* oſtenditur in hac paterâ, in quâ *paciferæ* nomen videtur præferre, in paterâ verò illâ, de quâ diximus, *bellicæ*.


(5) Petaſum alatum *Mercurio* Veteres ad celeres ingenii motus indicandos tribuerunt; Caduceum autem, quod lævâ tenet, virga fuit eidem ab *Apolline* donata mirâ in diſſidentium animis componendis virtute, quâ cum duos angues inter ſe pugnantes diremiſſet, mos invaluit, ut hi ſummæ illi virgæ deinceps apponerentur.

(6) Hujus rei causâ marſupium *Mercurius* lævo brachio ſuſpenſum geſtat in hac paterâ. *Horatius lib.* 1. *Ep.* 1. hunc morem innuit uſurpatum eo tempore,

Hæc recinunt juvenes dictata, ſeneſque,
Lævo ſuſpenſi loculos, tabulamque lacerto.

Marſupia autem hac formâ non nova ſunt in ſignis *Mercurii*. Idem *Horat. lib.* 1. *od.* 10. facundum eumdem appellat *Mercuri facunde nepos Ablantis*
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus....

(7) *Ciceroni de Nat. Deor.* idem eſt *Apollo*, ac *Sol* ipſe. Præeſt autem Divinationibus, & arti mittendarum ſagittarum, ut *Plato* ait in *Cratylo*.



Ærea T.I.

Ign. Benedetti S.

TABULA XIX.



VEtuſtiſſimam, & in ipsâ picturæ linearis infantiâ cælatam putat hanc pateram *Cl. Gorius* (1); cenſet autem, imaginem, quæ in eâ eſt, gradienti ſimilem, & magnis alis inſtructam, nudam prætereà, niſi quantum brevi amiculo ante pectus protegitur, Deam eſſe *Libitinam*. At unde nam diſcimus, hæc, aut capitis inſigne, quo ea operitur, galeæ inſtar, aut pilei Phrygii, ita hujus Deæ eſſe propria, ut his inſpectis de *Libitinâ* potiſſimùm cogitare debeamus? Hæc prætereà *Romanorum* Dea fuit: cui igitur probabitur, *Etruſcos*, qui ex *Græcorum* fabulis, aut rebus *Trojanis* paterarum argumenta vulgò deſumerent, ex *Romanis* verò numquam, *Libitinam* in hac paterâ cælare, eamque ante oculos habere voluiſſe, præſertim cum ſacra facerent, qui tantoperè refugerent, ut Ethnici reliqui, ab omni mortis memoriâ? Neque me ea *Gorii* oratio movet; quòd hæc patera tenui labro ſit, ac vix prominenti, indicio id eſſe, eam fuiſſe in *Parentalibus* ad epulas Diis Inferis apponendas adhibitam; quo enim auctore compertum id eſt, præſertim cum in hoc ipſo opere plures pateræ ſint labro adeo tenui, ac penè nullo, quæ tamen ad *Parentalia* minimè pertinent? Ego verò non *Libitinam*, in hac patera, ſed *Nemeſim* (2) potius

(1) Exemplar hujus pateræ non ſatis accuratè deſcriptum eſt ex prototypo in *Muſeo Etruſco Tab.* 82. ut patebit inſpicientibus.

(2) Hæc cum bonis arridet, *Gratiæ* nomine nuncupatur; cum malos terret, *Furiæ*; ſed cum hæc ita ſumitur, diverſo modo deſcribitur ab Antiquis.

tius mihi videor agnoſcere. Hanc vocat *Plato* ſupremi Judicis adminiſtram, & nunciam, quæ bonos foveat, & alliciat, improbos autem perſequatur, & terreat. Ne quid igitur ipſam lateat, ſedem eidem *Ægyptii* [3] ſupra *Lunæ* circulum ſtatuunt; ut verò ubique illam adeſſe mirâ celeritate omnes ſentiant, alas addiderunt teſte *Oppiano*. Primum illi templum poſitum fuit ab *Adraſto Argivorum* Rege, alterum extructum *Rhamnunte* in *Attica*; hinc *Adraſtia* dicta eſt, & *Rhamnuſia*.

II. *Antiopam Nyctei* filiam, *Lyci* [4] verò *Thebarum*, & *Ægypti* Regis, ut *Lactantius* ſcribit, uxorem ſpectandam [5] præberi nobis hac paterâ ſuſpicor [6]. Hæc poſt repudium, & vincula, in quæ conjecta a *Dirce* eſt, quam eâ dimiſsâ *Lycus* duxerat, cum *Amphionem*, & *Zethum* in *Citherone* peperiſſet, quos ex *Jovis* furto ſuſceperat, ulta dolorem ſuum per hos eſt *Lyco* interfecto; *Dirce* autem tauro alligata, & tamdiu raptata, donec eam *Bacchus* in fontem convertit cognominem.

(3) Magna artium, & morum affinitas interceſſit *Etruſcos* inter, & *Ægyptios*; quare ab his tranſire facilè potuit hujus Deæ nomen, & cultus. Conſulatur *Cl. Marchio Maffei de Italis primitivis*.

(4) *Lycum* ab *Amphione* non ſine *Zethi* ope lanceâ confoſſum *Antiopa* inſpectante præclarè pictum parietis ſegmentum exhibet, quod eſt in hoc Muſeo; Dircem verò ferocientis tauri cornibus innexam, & jam penè raptandam videre eſt in egregio ſtatuarum ſymplegmate, quod ſervatur in ædibus Farneſianis.

(5) Veſtem tunicæ ſuperinjectam, & defluentem poſt tergum recolligi a fœmineis, & attolli manu auriculâ tenus, aut etiam ultrà, novum non eſt Veterum monrmenta tractantibus; illud potius non frequens, id ipſum a viris fieri, quod tamen utrumque uſurpatum videmus in hac paterâ, ornatu ſcilicet, & elegantiâ ab artificibus ita quæſitâ. Lorum, ſeu brevis vitta, contortaque diadematis loco, apud aliquos *Aſiæ*, *Ægyptique* reges fuiſſe, eorum nummi teſtantur, quod idem evincit caput marmoreum in hoc Muſeo *Ptolemei Auletes* ita præcinctum. Etſi verò hujuſmodi inſigne Philoſophorum etiam capiti appoſitum videamus, licet Reges non fuerint, ſed ad ſapientiæ ſignificationem, vel ad capillos cohibendos, eâ tamen uti *Antiopa* potuit, utpote quæ *Ægypti* Regina fuerat; dignitatis verò causâ etiam alter ex filiis, quem loro redimitum aſpicimus.

(6) Aliquam *Neoteriſmi* ſuſpicionem injiciet alicui fortaſſe adoleſcentis cæſaries tam producta, & ita præter communem modum cincinnata; ſed conſulat is quæſo pateram: antiquam eam eſſe animadvertet, & prorſus incorruptam. Præterea hujuſmodi capillitii non deſunt exempla in hoc opere *Tab. XVI. paterâ I.* Faſcia, quæ a ſummo ejuſdem humero obliquè per pectus ſub ſiniſtrum brachium deducitur, non raro adhibita antiquitus fuit ad ſuſtinendas veſtes, quæ tamquam temerè rejiciebantur poſt tergum. Adeantur Veterum ſigna, & imagines quoquomodo cælatæ. Hunc morem imitari modò ſolent ſculptores præſertim in Angelorum ſimulacris. Soleæ, imò potius crepidæ, ſuperiorem enim tegunt calcis partem, adnotatu dignæ ſunt in hoc adoleſcente, etenim habenis fermè ad medium uſque crus adſtringuntur; itaque Thyrrenis calceis adnumerandas cenſeo.



Ærea T I

J. Beheim

TABULA XX.



B *Rhesi Thraciæ* Regis adventum *Græcis* trepidantibus, *Agamemnon* inito cum *Ulysse*, & *Diomede* consilio speculatum eos misit, qui cum in *Dolonem* (1) *Trojanum* incidissent, ab eoque *Thracum* didicissent consilia, eâ ipsâ nocte in *Rhesi* tentorium clam ingressi illo cæso, & fatalibus equis abductis (2) in castra redierunt. Ita *Homerus Iliad.* 10. Congressum hunc significari nobis hac paterâ ex eo conjicio, quòd ex tribus, qui cælati in eâ sunt, unum tamquam pro tribunali video lævâ parazonium, dextrâ hastam puram (3) tenentem Regum, & Heroum more, duos verò reliquos item hastatos, sed alterum ferro hastæ præfixo, sedentemque, alterum stantem, & hastæ puræ innixum; itaque adducor ut credam, illum quidem *Agamemnonem* esse, hos verò *Græcorum* duces, quos nominavi. Videntur autem omnes, ut in præsenti discrimine, quid facto opus sit (4) unà deliberare.

II. Pro-

(1) *Dolon Trojanorum* speculator fuit. Is vitæ spe arcana suorum consilia *Ulyssi*, & *Diomedi* prodidit; occisus nihilominus ab iisdem est. *Homer. Iliad.* 10.

(2) *Rhesus* cum sub noctem ad civitatem accessisset, nec recipi tutò posset intrà mœnia sine *Trojanorum* præsidio, tetendit in litore, ubi vigilibus somno correptis interfectus ipse est, & equi, quibus jugalibus utebatur, ablati. Albi hi erant, de quibus prædixerat Oraculum, *si pabula gustassent Trojæ, Xanthumque bibissent*, quemadmodum ait *Virgil. Æneid.* 2., fore ut *Troja* capi non posset. Hinc illa *Græcorum* festinatio, & cura, ut periculum anteverterent.

(3) Idem fermè hasta pura olim fuit, ac brevis ille baculus, quo Reges, & supremi armorum duces utuntur hoc tempore, insigne nimirum dignitatis, & imperii. Hanc tribuit *Virgil. Æneid. 6. Sylvio* posthumo *Æneæ* filio; *Ille, vides, purâ juvenis, qui nititur hastâ.* Quamquam non semper a principibus viris adhibitam fuisse, indicio est hæc patera, & egregium monumentum scarabæi formâ, quod olim edidit *Cl. Stoschius*; e quinque enim *Græcorum* heroibus in eo scalptis tres hastam tenent, sed ferro præfixo, puram nullus: aliqui præterea stant; aliqui sedent; agunt autem de *Amphiarao*, quem medium tenent, ad *Thebarum* expeditionem secum ducendo; ex quo liquet id etiam, in consiliis capiendis standi, sedendique morem promiscuum fuisse.

(4) Stellas tres grandiores in hac paterâ ad laudem pertinere trium eorum suspicor, qui deliberant; quasi tantum hi reliquos antecellerent, quantum majoris

joris


II. Propitiam Trojanis *Venerem*, *Palladem* verò iratam omnis fatetur [5] antiquitas; cum itaque feorfim hæc in hac paterâ cum *Apolline* colloquatur, illa cum *Paride*, aliquid agi de *Trojâ*, & confilia ab his Deabus iniri prorfus contraria fufpicari facilè poffumus. Verifimile igitur eft, dum *Venus Paridi* operam fuam, & felices rerum exitus pollicetur, *Apollinem* a *Pallade* oratum, ut fecum faceret, & conjunctis ftudiis *Trojanos* perfequeretur [6]; etfi enim *Apollo* non averfo a *Trojanis* animo effet, læfum tamen fe a *Laomedonte*, mercede negatâ, oblivifci non poterat. Jam verò *Paridem Laran* dictum *Etrufcè* fuiffe, *Venerem* verò *Turan*, item *Minervam Menrea*, & *Apollinem Aplu* difcimus ex *Etrufcis* nominibus, quæ præfixa iifdem funt; ita verò interpretanda ea effe eruimus ex ipfis figuris: nam præter ædem, quam *Veneris Migonitidis* [7] putamus a *Paride* extructam, cujus faftigium dumtaxat confpicuum eft, ex ipsâ nuditate figuræ, & quòd tàm familiariter, ut in aliis pateris quoque factum animadvertimus, hæc cum eo agit, qui propè fedet, hanc *Venerem*, illum *Paridem* agnofcimus. De *Minervâ* dubium nemini effe poteft, qui meminerit ita ornatam in Veterum monumentis fæpe reperiri. Idem dicendum de *Apolline*.

joris notæ ftellæ minoribus præftant. Quid, fi hæ nihil indicent præter arbitrium artificis, quemadmodum arbor, fub quâ fedet *Agamemnon*, & vafculum?

(5) Vulgatum eft illud *Ovidii Trift.* 1. 1. *Mulciber in Trojam, pro Troja ftabat Apollo: Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*

(6) Contigit id, quod *Pallas* optabat; fruftrà enim contrà nitente *Venere* interfectus ante finem belli *Trojani Paris* eft, & *Troja* deleta. Huic infeftam, aliqui opinantur, *Venerem* ipfam fuiffe, quæ *Priamum*, ejufque liberos perdendos curaverit, ut *Æneas*, ejufque pofteri rerum potirentur.

(7) In Infulâ *Crane*, ubi *Paris* cum *Helena* congreffus primùm fuit.


I
II

TABULA XXI.



Inas afferimus Pateras uno argumento, alteram *Tab. superiori num. II.*, alteram hoc loco[1]. Agitur in utrâque de rebus *Trojanis*, quas *Minerva* afflictas volebat, & perditas, *Venus* salvas, & incolumes: sed ita agitur, ut quod in alterâ gestum a Deabus, & earum sociis est, id in hac alterâ a fabularum actoribus inductum in scenam[2] videatur.

II. Ajunt, qui in illustrandâ veteri *Etruscorum* linguâ operam posuerunt, *Jovem Etruscè Tina* dici, *Bacchum* verò *Tinia*. Primæ hujus sententiæ parti favet Patera a *Dempstero* relata in *Etruriâ Regali*, in quâ vox *Tina Jovi* præfigitur. *Jovem* autem illum esse ex eo liquet, quod ex illius capite *Pallas* oriatur. Alteri parti faveret hæc nostra, quam idem affert *Dempsterus*, in quâ legitur *Tinia*; siquidem figuram, cui hoc nomen adjicitur, *Bacchum* esse constaret. Sed, ut omittam *Apulu*, & *Aplu*, *Menrea*, & *Menerea* eodem omninò sensu dici apud *Etruscos*, ut proinde non videatur propter literulæ unius adjectionem tantam inter *Tina*, & *Tinia* significationis varietatem admitti oportere; præsertim cum hæc utraque vox *Cl. Bour-*

guetio

(1) Duæ in hac paterâ fœminæ sunt, quarum una ita *Venerem* refert, ut si consertis inter se cruribus non esset, nec monili careret, ab eâ, quæ in alterâ paterâ est, internosci non posset. Idem dico de alia, quæ *Palladem* imitatur; adeo simili utraque ornatu, gestuque est, ac prorsus gemino. In duabus, quæ supersunt, personis *Phœbum*, & *Paridem* libenter agnoverim; eâ enim gravitate *Phœbus*, & *Pallas* agunt inter se, quæ Deos deceat; contrà eâ familiaritate, seu potius licentiâ *Paris*, & *Venus*, quâ uti eos consuevisse Veterum monumenta nos docent. Hi vestitu, gestuque eo sunt, quo saltatores, de quibus alibi diximus *Tabb. superioribus*; ornari autem eos ita oportuit, ut intelligi posset, rem agi in scenâ, cujus non leve indicium præstereà est suggestus ille, seu *pulpitum*, cui Actores incumbunt.

(2) Non novum est, Deos, Deasque ab Histrionibus actos in fabulis. Apud *Plautum Amphitruonis* formam induit *Juppiter*, *Sosiæ Mercurius*. In cænâ, quæ *Dodecatheos* dicta fuit, *Augustus Apollinem* agit, alii alios ex hoc numero Deos. *Sveton.* In *Sophoclis Ajace*, *Minerva* prodit in scenam; in *Philoctete Hercules* post mortem apparet. De *Etruscis* consule *Gorium*, *in Museo Etrusco*.


guetio idem ſonet ac *Tonans*, ut inquam hæc miſſa faciam; fulgur [3] video ſuprà figuræ hujus caput proſerpere; ſceptrum præterea ei datum, & fulmen [4], quæ tria, præſertim conjuncta, *Jovis* propria ſunt, non *Bacchi*, niſi aliter probatur aliis exemplis; quod enim ex hac paterâ ſumitur, controverſum eſt. Fateor juvenili facie Figuram hanc eſſe, & quæ *Bacchum* potius deceat, quàm *Jovem*; ſed de *Etruſcorum* moribus, non Latinorum hìc agimus. In *Tab. XXII. Muſei Etruſci* Signum *Jovis* eſt dextrâ fulmen tenens, iſtiuſmodi tamen facie, & imberbe. Majoris ponderis eſt corona, quæ videtur hederacea æquè, ac hederæ folia, quæ pendent ex hujus figuræ monili, & armillâ. Verùm cum ex hoc genere *Apollinis* etiam, qui propè aſſidet, monile [5] ſit, multòque expreſſiorem hederæ ſimilitudinem habeat, quàm *Tiniæ* corona; num *Bacchus* idcircò dicendus hic etiam erit; nec potius totum id ad ſimplicem ornatum, & bullarum genus aliquod referendum videbitur? Hæc animadvertenda cenſui, non ut Clar. Virorum auctoritati contrairem, ſed ut allatis iis, quæ in utramque partem diſputari poſſent, expeditius Lectoris eſſet judicium, cui mihiquoque ſtandum eſſe exiſtimo. Alter, qui ſuperiori corporis parte nudus inferiorem pallio velat, *Apollo* eſt [6], ut nomen *Etruſcum Apulu* indicat; alter *Mercurius* cum petaſo alato, & caduceo, *Etruſcè Thuran* appellatus.

(3) *Juppiter Fulguriator* cultus eſt ab *Etruſcis Gorio* teſte *ibid.* Scio fulmen *Baccho* tribui, non verò ſceptrum, ſeu haſtam puram, & fulgur ſuprâ caput; *Jovis* ea propria ſunt, quemadmodum & nubes, ut alibi vidimus *Tab. XIII.*, capiti circumfuſæ.

(4) Notanda fulminis hujus forma; non enim uſitata eſt apud Veteres.

(5) Non fœminarum tantùm, ſed hominum quoque, ac Deorum monilia, & armillæ propriæ fuerunt apud *Etruſcos*.

(6) *Lauro* coronatus hic eſt, vel quòd divinationibus præeſſet, & auguriis, vel quòd *Laurum* primus invenerit, ut ait *Diodorus Siculus*, ac proinde ſacra eidem creditur a Poetis.



TABULA XXII.



VIdes *Mercurium*, & *Herculem* intento vultu, gravique colloquentes. Quid hi ſibi velint; alternè (1) quidpiam Deorum juſſu alteri nunciet; an tacitè nos doceant (2), nihil effici præclarum poſſe ſine labore, & prudentiâ; referrinè, quòd cælati ita ſint, ad religionem artificis (3) debeat; an aliud ſpectandum non ſit (4) in hac paterâ, quàm quod oculis intuemur (5); malo ab aliis diſcere, quàm ipſe ſtatuere.

II. Ex duabus figuris, quæ unà ſermocinantur, altera

(1) Plures *Mercurios* agnovit antiquitas, quorum tamen res geſtas uni tribuit *Mercurio Jove*, & *Majâ* nato: *Hercules* item plures, quorum omnium labores in unum *Herculem* confert *Jove* natum, & *Alcmænâ*. Hunc apud *Lucianum* in *dial. Speculantes* fratrem vocat *Mercurius*. Pugnaſſe cum *Gigantibus Jovi* bellum inferentibus *Herculem* ait *Horat. lib.* 2. *Od.* 14. *Mercurii* fortaſſe accitu, ut auxilio veniret. Cavit eidem fortaſſe *Juppiter* per *Mercurium*; quo tempore ab *Junone*, & *Euriſtheo* in diſcrimen vocaretur; præſertim cum *Jovi* apud *Homer. Iliad.* 5. *Pallas* objiciat, toties ab eo adjutum, & ſervatum a periculis *Herculem*. Mitto hujus expeditionem ad *Inferos*, ut *Cerberum* abduceret duce *Mercurio*. Mitto huic ab eo clavam dono datam poſt exantlatos labores. *Vide Mythologos*, *&* *Montfauconium*, de quo *Tab. XVII.* Quàm multæ hinc opportunitates, ut hi Dii ſimul eſſent! Verùm, quam ex his ſpectaverit artifex, ſiquidem ullam ſpectavit, quis umquam deprehenderit, cùm ad conjecturam faciendam omnia prorſus deſint indicia? Ergo aut hariolandum mihi temerè eſt, ut hanc pateram interpreter; aut nemo ſanus a me id petet, a quo re perſpectâ ipſe quoque refugeret.

(2) *Palæſtritarum* præſides habiti apud Veteres ſunt *Mercurius*, & *Hercules*, quos proinde in ipſo etiam ſtadio victimis honeſtabant, & ſimulacris; putabant enim ſine prudentiâ parum abeſſe a temeritate fortitudinem.

(3) Nummus apud nos eſt argenteus *Limetani* ex *Gente Mamiliâ*, ſed aureo circulo antiquitus incluſus non ſine annulo, ut geſtari e collo poſſet, utique in honorem *Mercurii*, cujus caput oſtenditur in anticâ ejus parte. Alium ſervamus huic omninò ſimilem cum *Alexandri M.* capite, a quo aliquid ſibi virtutis afflatum iri ſperabant Veteres, ſi ejus effigie tamquam amuleto uterentur. Quid ni igitur fingi in hac paterâ *Mercurius* potuit, & *Hercules*, qui impenſius olim coleretur, quàm *Macedo*?

(4) In Veterum monumentis æquè, ac in recentiorum operibus, pictiſque tabulis non ſemper aliud objicitur oculis, aliud animo intelligendum proponitur. Qui in hanc, quæ Romæ eſt, Signorum turbam inciderit, facilè dicet *Auguſtum* hunc eſſe, illum *Trajanum*. Quid prætereà? Nihil, opinor; caret enim iis indiciis, quæ doceant ad hanc, aut illam rem geſtam id, quod videt, eſſe referendum. At Signum peculiari hoc geſtu eſt, habituque corporis, peculiari hoc item oculorum conjectu: quid tum? Communia hæc ſunt, & quæ non raró ad ſculpti hominis dignitatem pertineant, aut ad artificis elegantiam, ne Signi loco informe quiddam, & truncum afferre videatur. Idem uſuvenit, cum plures cælati uno opere Dii, Deæque ſunt; muta enim aliquando ibi omnia; ut ſolo aſpectu, & Deorum effigie, aut nominibus contenti eſſe debeamus. Quod, ſi in hac etiam paterâ fortaſſe accidit; quid eſt quod ingenium miſerè torqueamus, ut videamur id noſſe, quod æquè neſcimus?

(5) Non unâ, eâdemque formâ in veterum monumentis *Mercurii* petaſus cernitur; teſtudinatus enim ſæpe eſt, interdum elato vertice, quandoque depreſſo, & complanato; rotundus non raró, aliquando inſtar etiam galeæ adjectis utrinque alis. Hujuſmodi eſt, quem videmus in hac paterâ, niſi quod extrema pars, tàm quæ vergit in cervicem, quàm quæ ſuprà frontem attollitur, acuminata eſt, ac prætereà bifariam in apices diviſa; quod raró factum animadvertimus. *Herculis* caput leonini capitis pelle ita obductum, ut e ferino rictu ejus tantùm facies appareat, notatu dignum videtur tamquam non ita frequens in pateris.

ra *Apollo* mihi eſt, quod & laurus oſtendit, quâ præcingitur, & haſta, quam manu tenet. De alterâ, quæ exotico more faſciâ redimitur a tranſversâ tæniolâ ſubinde interſectâ, eam conjecturam facio, ut putem *Marſyam* (6) eſſe, qui ad muſicum certamen *Apollinem* provocat. Indicio ſunt ea duo inſtrumenta, quæ ad figuræ hujus latus intueor; etſi enim hæc buccinis (7) affinia magis ſint, quàm tibiis (8), quibus concertaſſe (9) *Marſyas* cum *Apolline* dicitur, tamen, cum e buccinarum genere tibiæ ſint, ac proinde prius (10) illæ, quàm hæ innotuerint, facilè eſt *Etruſcum* artificem, cum eas ita cælavit, originem potius tibiarum, quàm formam, quâ tum erant, ſpectare voluiſſe. Ceterum, amice Lector in re tàm obſcurâ;

. . . . . *Si quid noviſti rectius iſtis*
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum. Hor. l. 1. Ep. 6.

(6) *Marſyas* nobilis Tibicen fuit, patriâ *Gelano Phrygiæ* oppido, *Oeagri* filius, ut ait *Hyginus*, aut *Hyagnidis*, ut ſcribit *Apulejus* 1. *Florid.*, aut *Olympi*, ut vult *Apollodorus*. *Satyrum* eum vocat *Ovidius* 6. *Faſtor.*; at tam diligens patriæ, patriſque commemoratio cadere non videtur in *Satyrum* poſſe. *Paſtor* potius dicitur ab eodem *Hygino*; ex quo fortaſſe *Satyri* nomen invenit apud *Ovidium*, ad fabulam, & ad poeſim accommodatius.

(7) Buccina ita deſcribitur ab *Ovid. I. Metamor.*
Cava Buccina ſumitur illi,
Tortilis in latum quæ turbine creſcit ab imo.

(8) Tibias *Minerva* prima invenit; ſed quòd in iis inflandis genarum tumore deformaretur, propè *Idæ* fontem abjectas *Marſyas* repperit. Ita *Hyginus*.

(9) Victus ab *Apolline* diſcerptus eſt, aut, ut vulgò creditur, pelle exutus. Huic ſtatuam in liberis civitatibus poſitam fuiſſe ſcribit *Seneca de beneficiis*, *Servius*, aliique, ne quis ab officio declinaret. Eſt & *Romæ* in *Curia Innocentianâ*.

(10) *Buccina* dicta eſt a *Buccino*, quod concha marina eſt. Eâ uſi primum *Tritones*, deinde *Paſtores*. Artefacta tandem eſt & in bello adhibita. Hinc tubæ, tibiæque, quibus *aſſiduè commeletando* (ait Hyginus de Marſya) *ſonum ſuaviorem in dies faciebat*. *Vide Bartholinium de Tibiis Veterum*, & *Gorium in Muſ. Etr.*



Æica T I.

Ign. Benedetti Sc.

TABULA XXIII.



Aturâ trahimur, inquit Lipſius de inſtit. Bibliot., *ad ſimulacra, & effigies magnorum virorum noſcendas*. Rectè id quidem; non enim utilitate caret, quod, ita cognitum ad æmulationem nos allicit. Miror potius tanto nos imaginis quoque noſtræ intuendæ ſtudio teneri. Laudandum tamen id ducerem, ſi, non qui ſimus, noſſe vellemus, ſed qui eſſe deberemus (1). Ac formæ quidem gratiâ conſultæ primum aquæ (2) ſunt: acceſſit deinde artificium, & ſpecula (3) inventa, lævigato in hos uſus metallo, poſtremò etiam vitro. Utrumque levitatis hujus inſtrumentum nobis proponitur in hac paterâ, quam, quò rudioris artificii eſt, & magis ſimplicis argumenti, eò antiquiorem puto; adſtant enim ad

(1) Rectum ſpeculorum uſum docet Phædrus 38. *Quotidie*, inquit, *ſpeculo vos uti volo: tu formam ne corrumpas nequitiæ malis; tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis*; ſed multò copioſius *Seneca Nat. quæſt.* 1. 17. *Inventa ſunt & ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret: multa ex hoc conſecuta, primum ſui notitia, deinde, & ad quædam conſilium; formoſus, ut vitaret infamiam; deformis, ut ſciret redimendum eſſe virtutibus quidquid corpori deeſſet; juvenis, ut admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia auderet; ſenex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret*. Idem ait & *Socrates*.

(2) Quæ de *Narciſſo*, aliiſque non paucis ſe in fonte, aut placido mari ſpectantibus ſcripſerunt *Ovidius*, *Virgilius*, & reliqui artis poeticæ antiſtites, libenter prætereo; notiora enim ſunt, quàm ut hic iterum commemorentur. Tractant hunc locum *Itali* etiam *Poetæ*, quos qui legerit, Latinorum ingenium, & elegantiam non multùm deſideraverit.

(3) In ſacris literis mentio ſpeculorum fit, quibus jam tum mulieres uterentur. Eadem crebrò occurrunt in *Etruſcorum* monumentis, ut videre eſt apud *Dempſterum*, & *Gorium*. *Græci* verò Diis etiam ea donare conſueverant, præſertim *Junoni Samiæ*, ut ait *Apulejus*; ex quo genere fortaſſe ſpeculum fuit, quod, ut ſcribit *Pauſanias in Arcad.*, *in Cereris, & Proſerpinæ* templo ita ſuffixum parieti fuerat, ut qui in illud inſpiceret, ſimulacra tantùm Dearum ſpectaret, ſe verò ſub initium aut nihil, aut parum; cujus tamen rei rationem non ab intimo quodam artificio, ſed ab ipſo ſimulacrorum, & ſpeculi poſitu petendam arbitror. Quod ſcribit *Tertullianus de Jejun. cap.* 26., haud ſatis ſcio ad *Græcoſnè*, an etiam ad *Romanos* referendum ſit; ait enim, in feſtis Deorum viros, & mulieres ſpecula tenere conſueviſſe, quæ obviis objicerent, ut oſtenderent, Deorum ſimulacra ad ſpeculum compta eſſe; nec defuiſſe aliqua ex iis Signis, quorum manibus ſpeculum eſſet appoſitum. Sed quàm non expertes hujus turpitudinis *Romani* quoque olim fuerint; ut taceam ſpeculum matronis a ſervo præferri ſolitum, (*Propert.*), idemque civilis belli ſarcinam *Othoni* fuiſſe, ipſaque demum conclavia ſpeculis e pellucido lapide, aut vitro parietes circumveſtientibus dehoneſtata; (*Plinius*), ſatis ſit omnia complecti unius *Senecæ* teſtimonio de *ſpec. magnitudine, & pretio lib.* 1. *Specula*, inquit, *totis paria corporibus auro, argentoque cælata ſunt, luxuriâ rerum potiente; & pluris unum ex his fœminæ conſtitit, quàm antiquorum dos fuit illa, quæ publicè dabatur Imperatorum pauperum filiabus .... Libertinorum virgunculis in unum ſpeculum non ſufficit illa dos, quam dedit Senatus pro Scipione*.

ad fontis labrum Mas, & Fœmina, hæc in illimibus illis aquis formam exploratura, ille in ſpeculum, quod attollit, inſpiciens.

II. Coronidem huic operi imponimus paterâ omnium præſtantiſſimâ, & quam *Cl. Bonarrotius* unicam credidit. *Ægyptia* (4) hæc eſt, & *Iſidem* refert ex utrâque parte, ſeu potius *Loti* (5) florem ita conformatum, ut pro caule *Iſidem* (6) habeat. Magna fuit apud *Ægyptios* hujus Deæ religio (7), quam *Jovis Ægyptii* filiam, & *Oſiridis* ſororem, ac conjugem arbitrabantur; magna etiam apud *Romanos*, nam præter plura *Iſidis* templa (8), quæ *Romæ* fuerunt, & regionem hoc nomine, ejus ſacra ſæpe *Domitianus* in linteâ, religiosâque veſte palàm celebravit; alios ſacrorum ritus, quos ea ſubinde inſtituerat ſuperſtitio, in Urbem *Commodus* detulit, alios *Caracalla*, qui templorum eidem numerum auxit, & cultum.


(4) Nemini mirum videbitur *Etruſcorum* pateris *Ægyptiam* adjungi; modo recolat ea, quæ tradit *Cl. Marchio Maffejus* de *Etruſcorum origine*. His certè affinitatem veluti quamdam cum *Ægyptiis* fuiſſe, utriuſque populi monumenta teſtantur, quæ habitâ artificii ratione non parum ſimilia inter ſe quivis agnoverit.

(5) *Lotim Neptuni* filiam in *Lotum* converſam ait *Ovid. Metam.* 9. Eſt autem *Lotus*, ut refert *Plinius lib.* 3. *cap.* 17. arbor in *Africâ* circa *Syrtes* piri inſtar, fructu croceo, & fabæ magnitudine, dulcedine verò tantâ, ut patriæ oblivionem advenis afferat: itaque *Vliſſis* ſocii cum eum guſtaſſent, vix inde abduci potuerunt. *Homer. Odyſs.* 9. *Eſt eodem nomine*, ſubdit *Plinius*, *herba*, *ſeu caulis in Ægypto ex paluſtrium genere*. Hunc recentiores in duo genera partiuntur; alterum roſæ colore, quod idem eſſe putant ac colocaſiam, ſeu *fabam Ægyptiam*, alterum flore albo, quod nimpheam *Niloticam* vocant. Verùm etſi hæc aliquid commune habeat cum *Loto*, qui ſacer *Iſidi* fuit, diverſam tamen ab eo eſſe ſcribit *Spanhemius de pretio*, & *uſu numiſm.*; rectè enim putat *Loti* formam a nummis, & veterum monumentis eſſe repetendam, in quibus alius is eſt a Nimpheâ, & ita lilio ſimilis, ut ab *Herodoto*, *Theophraſto*, *Dioſcoride*, aliiſque *lilium Ægyptium* vocetur. Congruit horum teſtimonio præter hanc pateram, quæ lilii folia præfert, loti quoque caulis apud nos æreus trium fermè unciarum altitudine lilii ſimillimus nondum maturi, nec frondibus adhuc explicitis, in ipſo tamen vertice flore, ſeu fructu intumeſcente baccæ inſtar brevi proditurae. Jam verò *Lotus* familiare capitis ornamentum *Ægyptiis* fuit, Diis etiam, præſertim *Iſidi* non ſine aſpide, qui eidem adhæreſceret; quamquam calatho quoque, aut modio hæc Dea uſa eſt.

(6) *Iſis*, a quâ, ut ait *Salmaſius*, lanæ texendæ artem *Ægyptii* didicerunt, eadem habita ab iis eſt ac *Luna*; manu proinde ſitulam tenet ad humidam illius vim demonſtrandam, quâ ſemina foventur: eadem etiam ac *Cybele*, *Venus* quoque apud *Bubaſtos*, & *Coptos*, poſtremò ipſa *rerum Natura*.

(7) In ſacris hujus Deæ Sacerdotes tintinnabulis uſos, & abſynthii marini ramum præferre ſolitos fuiſſe auctor eſt *Lucianus*, & *Plinius* 27. 7. Iidem pedibus phylirâ tectis bis in die laudes *Iſidi* canebant, primâ horâ, quâ Templum reſerabatur, ad octavam iterum, quâ claudebatur. Quædam nocturna quoque ſacra fuerunt, quæ cum mulieres peragerent, eò accedere viris non licebat.

(8) Inter præcipua *Iſidis* Templa *Iſeum Romæ* fuit inter ædem *S. Ignatii*, & Cœnobium *PP. Prædicatorum*, ubi, cum memoriâ noſtrâ *Seminarii Romani* pars ante cavædium ædificaretur, refoſſa fuit *Iſidis* ſedentis ſtatua ex alabaſtrite humanâ ſtaturâ major, & minutis hieroglyphicis inſignis tota, quæ modò ſervatur in magnifico, elegantiſſimoque ſuburbano *Eminentiſſimi Cardinalis Alexandri Albani* extrà Portam *Salariam*, ab eodem inſtaurata; carebat enim ſuperiori corporis parte.



Ærea T. I. — *Ign. Benedetti Sculp.*

INDEX TABULARUM

TOMI I.

PATERÆ.

F I N I S.

MUSEI
KIRKERIANI

IN

ROMANO SOC. JESU COLLEGIO

ÆREA

NOTIS ILLUSTRATA

TOMUS II.



ROMÆ MDCCLXV.

EX TYPOGRAPHIA JOHANNIS ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dominicus Jordanus Archiepiſcopus Nicomediæ Viceſgerens.

ADPROBATIO.

QUod jamdiu Eruditis omnibus in votis erat, ut nempe Kirkeriani Muſei copioſa naturalium, artificialium, & tum maximè antiquarum rerum ſupellectile refertiſſimi hiſtoria conſcriberetur, bono literariæ Reipublicæ fato nunc tandem actum conſpicimus. Narratio in plures libros diſpertita a veterum æreorum monimentorum deſcriptione initium ſumit eruditiſſimis adnotationibus, quaſi perpetuo Commentario locupletata. Quas quidem Lucubrationes mandante Rm̃o P. Thoma Auguſtino Ricchinio S. P. A. Magiſtro cum attentè perlegerim, nihilque in eis offenderim, quod Catholicæ Religioni, aut morum caſtitati adverſetur, eas publico Literatorum commodo typis vulgandas cenſeo.

Dat. Idib. Februar. Anno 1763.

Antonius Baldanus CLEMENTIS XIII. *P. M. ab intimo Cubiculo, & Sacræ Congregationis Aquarum Secretarius.*

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

LECTORI BENEVOLO.



Nſitum a naturâ hominibus eſt, ut, cum ipſi morti ſubjaceant, diutiùs quodammodò in filiis breviorem vitæ ſuæ curſum ament producere, & quacumque ratione id conſequi valeant, ſæculorum omnium perennitati nominis ſui memoriam ſtudeant commendare. Neque enim penitus extinctos eſſe dicendum eſt, quorum apud nos imago aliqua extat; in quam intuentes, eorum, qui anteactis ſæculis floruerunt, veluti effigiem quamdam conſpicimus aut propagatam in filios, aut Signis opere, & manu factis expreſſam. Hinc Simulacrorum efformationem antiquiſſimis temporibus aſſignandam eſſe cenſemus; ita ut, ſi quis non longè a Noemi ætate artem hujuſmodi inventam autumet, opinionis iſtius neque falſitatem oſtendere, neque veritatem demonſtrare hoc loco ſuſcipiamus. Certè fabulatores cum Promethei mentionem faciant, illumque a ſe e luto compoſitas hominum imagines, igne ab ipſis Solis rotis furato, ani-

maſſe

masse commemorent; quid, nisi Statuas, & Signa luto, & argillâ ab hominum antiquissimis primò efformari cepta esse nobis innuunt? Nam si Mythologorum commenta Ægyptiorum ingenio, qui symbolis, & ænigmatibus veritatem obvolvere maximè delectarentur, in primis tribuenda esse omnes concedimus; illos quoque aut hujusmodi artem excogitasse, aut inventam a patribus accepisse facilè intelligamus necesse est, atque adeo quasi ad Mundi primordia, & ad primas post Noemi filios ætates deveniamus. Neque verò ex argillâ tantùm, & luto, quia hæc non difficilè manus artificum sequerentur, priscis illis ætatibus Signa fuisse composita apertè testantur Herodotus, Pausanias, aliique, de quibus vide, quæ in Notis Tab. I. hujus Tom. recensuimus; verùm & lignis, & ebori, & lapidibus Deorum præsertim figuras fuisse insculptas iidem Scriptores affirmant. In Achaicis autem tradit Pausanias seriùs multò ceptum fuisse æs exerceri, & non nisi post Trojæ excidium ærea Signa conflata. Quod planè mirum omninò ut videatur oportet, si quis secum reputet, quæ de Labani sorore Rebecca legimus in Sacris Literis Genes. cap. 31. Si enim illa aurea, & argentea fratris idola abscondit subter stramenta cameli, & desuper sedit; *sæculis non paucis ante Trojam exustam auri, & argenti conflandi artem Mesopotamos cognovisse adeo certum nobis esse debet, ut de historiæ illius veritate nullo modo possimus nisi cum gravissimo scelere dubitare. Sin autem aurea, & argentea Signa adeò remotis temporibus habuisse Chaldeos fatendum est; quis ærea quoque apud eosdem fuisse inficiabitur? Quod si æris ducendi magisterium gentes aliquas calluisse statuimus; Pau-*

saniæ

saniæ scribenti post Ulyssis ætatem æs primò fuisse conflatum, si non statim acquiescam, neminem futurum puto, qui mihi jure succenseat. Quod libentissimè concedemus, illud est; rudia in ipsâ veluti novæ artis infantiâ fuisse ea Signa, quæ primò conflata sunt, & quorum exemplum in Tom. hujus I. Tab. exhibemus. Quemadmodum enim a corporibus projectam umbram lineis circumscribentes crassum, & informe quoddam pictoriæ principium fecerunt; ita ære, quoquo modo tandem conflato, statuariam veteres sunt auspicati; quam subsecutis deinde temporibus præclari aut Etruscorum, aut Græcorum artifices ad illum perfectionis gradum deduxerunt, ut corporum habitu, membrorum compage, vestium denique, & ornamentorum apparatu multiplici & vario absolutissimè imitato æreæ aut hominum, aut Deorum imagines tacitè quodammodò loqui, & quasi spiritum ducere videantur. Hujusmodi complures elegantissimè elaboratas II. hoc Æreorum Tom. complexi sumus; quibus nonnullas rudiores fortasse, & minus perfectas adjecimus, ut tum Græcorum, tum Etruscorum mores, & instituta pateant, ac gentis utriusque ars, & ingenium inspicientibus innotescant.

TABULA I.



Onflata videntur hæc ſigna in ipſo Æris cudendi, formandique (1) tyrocinio, quæ licet rudia ſint, & agreſtia (2), tamen contemnenda non arbitror; docent enim quibus initiis ad ſummam id genus operum elegantiam Veterum induſtria pervenerit. Quare ii mihi

(1) Ut a Religione ordiamur, quæ plurimum hujuſmodi artibus contulit; in fingendis enim Deorum ſimulacris adhibitæ primum ſunt; patrius *Græcis* mos fuit *Pauſania teſte in Achaic. Rudes lapides pro Diis colere*. Adjecta deinde lapidibus figura eſt, quæ non ad aliquid indicandum, ſed ad eos ſtatuendos ſufficeret. *Megaris*, inquit idem *in Attic.*, *lapis eſt in veteri gymnaſio non magnæ pyramidis inſtar, quem Apollinem Carinum vocant*: & *in Achaic. Pheris propè ſignum Mercurii triginta ferè lapides erecti ſunt quadrangula figurâ; hos ſingulos certis eorum nominibus appellant, & venerantur*. Mirum id quidem videri non debet; nam cum natura divina formâ careat, alienam vero eidem affingere propter artium inſcitiam non poſſent, rudi illa, obviâque lapidum imagine uſi ſunt, quæ Deorum ſaltem firmitatem referret. Primos ait *Herodotus in Euter*. *Homerum*, & *Heſiodum* Diis figuram, & formam tribuiſſe; at hi, cum ann. CCLXXVII. poſt Bellum *Trojanum* claruerint, ante verò id bellum *Palladium Trojæ* fuerit, ſeu ligneum *Palladis* ſimulacrum, formam quoque hujus Deæ prius excogitatam oportuit. Idem dico de reliquis Diis, quorum nomina apud *Trojanos*, & *Græcos* jam tum percrebuerant. Indicio eſt *Jovis* ſimulacrum in *Græcia* item ligneum, cui, præter duos oculos conſueto more poſitos, tertius erat in fronte; ut oſtenderetur, triplici eum regno potiri. De hoc ita *Pauſanias in Corinth. Hunc illum eſſe Jovem Patrium tradunt, qui in Priami Laomedontis filii Regia ſub dio poſitus erat, ad cujus Aram dicitur Priamus, capto Ilio, confugiſſe: obtigiſſe vero in diviſione prædæ Sthenelo Capanei filio, & ab eodem hoc loco dicatum*. Forma igitur jam tum *Jupiter* certa erat, & quidem humana, quemadmodum, ut opinor, & Pallas; aliam enim ſubſequutis temporibus nullam hæc prætulit. Obvium autem Ethnicis fuit, cum primum artibus uti ceperunt, hanc tanquam præſtabiliorem eligere, quam Diis apponerent, & qua delectati ita ſunt, ut ea ex filiorum, aut patrum, qui objerant, vultu expreſſa, & dolorem lenirent ſuum, & opportunitatem inde caperent, ut eos tanquam Deos venerarentur. *Sap.* 14.

Quod ſi Deorum fermè omnium nomina, ut ait *Herodotus in Euterp.*, *ex Ægypto* tranſierunt in *Græciam*, indidem arbitror illuc advectas & formas; quò enim minus agreſtes *Ægyptii* tùm erant, quàm *Græci* propter vicinitatem *Chaldeorum*, neque tamen propter ſuperſtitionem ſapientiores; eò veroſimilius eſt multa ab eis prius inventa, quæ ad Deorum cultum pertinerent, atque adeo ad artium etiam initia; eos proindè res lineis definire, & complecti, quod *Dibutadis* filiæ ſubobſcurè *Plinius* videtur tribuere *lib.* 35. 12. bruta, & homines deſcribere, Deoſque ad eorum ſimilitudinem fingere primos cepiſſe. Etſi enim negarent Deum ullum intra annos decem mille trecentos quadraginta (*Herodot. ibidem*) qui annorum numerus commentitius eſt, humana figura fuiſſe; hanc tamen, & belluinam etiam eos Diis affinxiſſe, ſimulacris docemur, quæ ad nos pervenerunt. Ac primò quidem oblongis ſtipitibus, & paulatim decreſcentibus inſcultum os eſt, imi item pedes, iidemque jugati, reliquo corpore ne adumbrato quidem; brachia deinde adjecta, ſed in longum protenſa, & lateribus affixa; donec ea quoque exeri, pedes abjungi & corporis reliquum formari ceptum, os vero præcipuè, in quo expoliendo elegantiam *Ægyptii* prætulerunt non mediocrem; ut patet ex eorum monumentis aliquot, & pyramidibus. Hanc ſculpendi rationem ad *Græcos* tranſiſſe nemo negaverit, qui *Pauſaniam* legerit, ſeu forma ſpectetur, ſeu nulla fere primorum operum accuratio, ſive etiam materies. Satis ſit hic locus ejuſdem in *Attic. Apollinis Pythii, & Decumani ſimulacra nihil omninò a ligneis Ægyptiorum ſimulacris differunt; quanquam hac artè longè his Græci poſtea præſtiterunt*.

Ac primo quidem lignum apud utrumque populum ſculpi ceptum eſſe teſtatur *Pauſanias in Corinth. Apollinis ſignum è ligno vetuſtiſſimum Danaus dedicavit: fuerunt autem illis temporibus ſigna omnia e ligno, & in primis quæ Ægyptii feciſſent*: & *in Arcad. Priſci homines, quantum in antiquitatis monumentis didicimus, non alia materia ad ſimulacra Deorum uſi ſunt, quàm Ebeno, Cypariſſo, Cedro, Quercu, Edera Cilicia, & Loto*, Meminit tamen ſæpe etiam Argillæ, Gypſi quoque aliquando, ſed præcipuè æris, & marmoris, cùm horum duritiem artifices vincere didiciſſent. Æs ſerius exerceri ceptum eſt, ſi *Pauſaniæ* credimus; ait enim: nondum *Ulyſſis* tempore uſitatum fuiſſe ſigna ex ære facere; primos vero Æs conflare, & cudere docuiſ-

hi probari non ſatis poſſunt, qui, ſi quid viderint minus arte perfectum, rejiciunt id ſtatim, & averſantur; quaſi verò quod hujuſmodi eſt, non multa ſæpe contineat, quæ ſi minus capiunt artificum oculos, paſcant tamen doctorum hominum animos, & erudiant.

ſe *Rhæcum Philæi, & Theodorum Teleclis filios*: in *Achaic. Troja* capta eſt anno ante U. C. CCCCXXXVII. *Donat. de Vrbe Rom.* Igitur intra hoc temporis ſpatium, quoniam bello *Trojano Vlyſſes* interfuit, & ignoramus quanto poſt interierit, opera æri formando data videretur; niſi ex *Homero* Author hic traderet *in Lacon.* Heroum arma ærea fuiſſe, poſt heroicum vero ſæculum ferrea. Quapropter ita *Pauſaniam* intelligi arbitror oportere, ut non de quibuſvis æreis operibus, ſed de ſimulacris dumtaxat loquatur, nec de omnibus populis, ſed de *Græcis*, *Græciæque* finitimis; aliter, & ſibi repugnaret, & a ſacris literis falſi manifeſtò argueretur.

(2) Id ipſum ſuadent duo hæc ſigilla, quæ & ſi non longe ab artis hujus primordiis abeſſe videantur, ad *Rhæcum* tamen, & *Theodorum*, atque adeo ad *Græcorum* inſtituta referri non poſſunt; Petaſus enim, quo utriuſque caput obtegitur, nec forma *Græcanicus* eſt, nec habenis, quibus unius mento ſubſtringitur *Etruſco* more. Multò vero minus, ſi quidquid illud eſt, folliculi inſtar, quod inhæret pectori, bullæ adhuc rudis loco ſumatur. Vaſculum item, quod ab utriuſque manu parum exerta protenditur, unius tunica faſciis veluti quibuſdam corpori adſtricta, alterius rugis, ſeu plicis contracta, utraque ita protenſa, ut imi tantum pedes appareant, artificium denique totum, ſi rectè ſpectetur, *Etruſcum* quiddam oſtendunt potius, quàm *Græcum*. Jam vero ſi ex *Porphirione grammatico*, apud *Bonarot. in Muſ. Dempſt.*, *Apud Thuſcos in primo Italiæ*, ideſt a primo Italæ gentis exordio, *ex marmore ſigna proceſſerunt*: & ex *Plinio*: *Signa quoque Thuſcanica per terras diſperſa, quæ in Etruria fabricata non eſt dubium; mirumque mihi videtur, cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit, lignea potius, aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris dicata uſque ad devictam Aſiam*. Si inquam hæc ita ſunt; quid opus *Etruſcis* fuit *Græcorum* auxilio, ut ſigna conflarent, cùm vetuſtiſſima ſuperſint adhuc ex ære eorum monumenta in ædibus *Capitol. Pop. Rom.*? Linearis certè deſcriptionis ſcientiam, quam ſanè callebant, penitus amiſiſſe dicendi eſſent, ſi novo hoc *Rhæci*, aut *Theodori* artificio inſtituti tàm rudia ſigna, quàm hæc duo ſunt, tandem facere didiciſſent.

Quid hæc autem ſignificent, incertum eſt. Lucis aliquid ad conjecturam faciendam affulget ex *Luciani* dialogo, ubi *Mercurius* queritur cum *Maja* de laboribus, quos ferre cogebatur: *Verrere me oportet mane Cænaculum, menſam ſternere..... ambroſiam apponere; priuſquam vero hic junior pocillator veniret, nectar quoque ego miſcebam*. Igitur ante *Ganymedem Jovis* pocillator fuit *Mercurius*. Hoc ejus munus ſignificari puto Vaſe illo, quod hæc ſigilla manu tenent, pocillatorum Latinorum more, qui poculum, cornu tamen inſtar elatum oſtentant. Congruit Petaſus; eo enim tectus nobis vulgò *Mercurius* objicitur. Nec diſſentit veſtitus ratio, cujus indicium videmus in vaſis *Etruſcis*, & apud *Ægyptios*, a quibus *Etruſci* mutuati videntur non pauca; ſed apertius id oſtendit *Mercurius Criophorus* craterem tenens inſculptus baſi candelabri in ædibus *Barberinis*, cujus exemplum, cum hæc ſcripſiſſem, typis excuſum benignè mecum communicavit eruditiſſimus Vir *Dominicus Auguſtus Bracci*. Vide præterea *Atheneum* lib. 20. cap. 7., & lib. 2. cap. 2.



Greg Giusti del Ærea T·II· Ant· Zaballi sc



TABULA II.



Am ſimile Signum hoc illi eſt, quod in *Muſeo Etruſco* quinctum obtinet locum, ut, ſiquidem idem non eſt, certè geminum videatur. *Anchariam* putat eſſe *Cl. Gorius* (1), quam Deam ab *Aſculanis* (2) in *Piceno*, & a *Feſulanis* in *Etruriâ* cultam ait fuiſſe. Addunt aliqui eam in honore idcircò habitam, quòd ab hoſtibus tueretur, & furorem (3), quibus vellet, immitteret. Sed quæ Dea hæc fuerit, mitto quærere; ſupervacaneum enim id puto; cum verear, ut ſatis probet *Gorius*, *Anchariæ* Signum illud eſſe, quod protulit; ita enim opinatur ex eo; quòd repertum *Feſulis* ſit, ut quoſdam ait ſibi narraſſe; & quòd hæc Dea *Feſulis* coleretur. Eſto: potuit tamen illuc aliunde transferri, ut minoribus hiſce Signis tàm ſæpe uſuvenit, & ſcriptis etiam lapidibus; proinde conjectura hæc a loco petita, ſi non alia multa concurrerint, quæ ſuſpicionem hanc adimant, levis habetur,

(1) *Tab. XI. & XII.* pateras fictiles duas affert *Gorius*, quarum altera expreſſam lumborum tenus mulieris nudæ figuram oſtendit capillis rigentibus, & alis capiti, dorſoque adjectis; altera item mulierem, ſed ſtantem; pedibus decuſſatis, brevique amiculo ad corpus ſuccinctam, & alis capiti appoſitis, quæ inverſæ bipenni dextrâ innititur. *Furinam Gorius* appellat, & ex *Etruſcis* caracteribus, qui figuris his adjacent, etiam *Anchariam*. *Furina* quidem nota *Romanis* fuit, & *Flaminem* habuit, & ſacra; non ita verò, quod ſciam, *Ancharia*. Sed fuerit a *Romanis Furina* dicta, quæ apud *Etruſcos* dicebatur *Ancharia*: quis umquam opinabitur, hæc tria *Etruſca* monumenta tam diſſimilia inter ſe unam, eamdemque Deam referre poſſe?

(2) Varia eſt Codicum lectio in *Apologetico Tertulliani*, in quo *Anchariæ* mentio fit, & eorum, qui eam colerent; habetur enim in iis *Ærulanorum*, *Æſulanorum*, *Aſculanorum*. Poſtremam hanc dictionem ſequuntur *Rigaultius*, *Turnebus*, aliique; mediam tenet *Havercampius*; in notis tamen ejuſdem *Apologetici*, quem a ſe illuſtratum edidit, legendum videtur putare *Fæſulanorum*. Sed multò apertius his favet ara *Feſulis* reperta, & ita inſcripta.

L. MAGILIVS PERVLLINVS VARISIVS III. VIR.
SIGNVM ANCHARIÆ
SVA PECVNIA RESTITVIT
L. D. D. D.

Hanc *Lucas Holſtenius* excripſit, & ex ejus ſchedis illuſtravit *Reineſius* cl. 2. num. 23.

(3) Furere ſolitos *Anchariæ* numine afflatos, eoſque *Anoharios* idcircò dictos, ut a *Bellonâ Bellonarios* ſcribit *Turnebus* adverſ. lib. 17. cap. 24. Hunc ſequitur *Gorius*, qui tamen ut id aſtruant, hos tantùm *Lucilii* apud *Nonium* verſiculos afferunt, obſcuros ſanè, & corru-

betur, aut nullius momenti. Præterea una ne *Feſulis* culta Dea eſt, ut hoc Signo ibi reperto *Anchariam* nobis inveniſſe gratulemur? Quo ore, habituque ea fuerit, ignotum omnibus eſt; malè igitur ratiocinabimur; ſi, cùm de hoc Signo ex jam notâ Deæ figurâ conjicere nos oporteret, ex eodem æquè ignoto de *Ancharia* formâ, quam numquam vidimus, judicare voluerimus. Equidem affirmare id unum auſim, *Etruſcum* Signum eſſe; etſi ut accenſerem etiam *Ægyptiis* (4) nonnihil me artefactorum utriuſque populi monere ſimilitudo poſſet, quæ tanta eſt, ut harum rerum ſcientiſſimus *Bonarrotius* ſuſpicatus vehementer ſit, aliquas ex *Ægypto* (5) colonias olim commeaſſe in *Etruriam*. Quorſum autem de *Goriano* Signo dixi, de noſtro tacui? Ut intelligat Lector, quodcumque judicium de alterutro tulerit, latum iri de utroque; idem enim, & unum ſunt, ut ſuperius innuimus; adeo in averſâ etiam Signi parte omnia congruunt, quæ deſcribuntur a *Gorio*.

corruptos ex *Veter. Poet. fragmentis Satyr. lib. 6. Hæc inquam rudet e roſtris, atque ejulitabit*; nam pro *ejulitabit* legit *Salmaſius heilitabit*, *Varro hinnilitabit*. *Concurſans uti arenarius, clarèque quiritans*. Pro *uti arenarius* reſtituunt *Turnebus*, & *Douſa velut Ancarius* ſine aſpiratione. *Quiritans*, id eſt *Quirites appellans*. Hæc mihi non ſatis aptè cadere videntur in hominem furioſum, ſed in afflictum potius, & laboribus ingementem. Itaque *Hoffmanus Ancarium* ſumit pro *Aſello*, ſive *homine onus ferente*, & ita interpretatur *Lucilium*. Vide plura in ejus lexico. Fuit *Romæ* Familia *Ancaria*, quemadmodum & *Aſellia*.

(4) Calcei lunati, diadema, ſeu vitta perpetuo ductu caput ambiens, & lemniſcis retrò pendentibus occipiti alligata; veſtis prætereà plicis quibuſdam, & ſinibus eleganter collecta; adjectuſque, ubi hæc in angulum deſinit, flocculus Signum hoc *Etruſcis* adjudicant; fuerunt enim hæc eorum propria, quæ imitati aliquando ſunt aliarum gentium artifices. Contrà veſtis corpori adſtricta, pedes jugati, & conjuncti, manus ad latera protenſæ, capillique poſt tergum paſſi, & ad rectam lineam execti, ut alia omittam, *Ægyptii* moris ſunt, & inſtituti, a quo multa *Etruſci* in rem ſuam derivarunt, ut patet ex hoc Signo, aliiſque non paucis hujus populi monumentis. Conſule *Gorium*.

(5) In append. ad *Etrur. Reg. Dempſteri*. De his *Ægyptiorum* coloniis agit *Johan. Marshamius* lect. 8., ubi has antiquiſſimis temporibus in *Græciam*, & in *Aſiam* deductas probat Scriptorum veterum teſtimonio.



Greg. Gugli del — *Ærea T II.* — *Ant Zaballi Sc*

TABULA III.



FLoram hanc eſſe facilè ſuſpicabitur, qui mulierem videat in cubitum reclinatam, compto crine, duplicique coronâ, alterâ præ manibus, alterâ ad collum ſuſpensâ, toto denique corporis habitu ad lætitiam, & hilaritatem compoſito. Hæc optimè cadunt in Deam, quæ munditiis, & floribus præerat, & quam *Romani* voluptatum ſtudioſiſſimi, quemadmodum *Ethnici* omnes, maximè venerabantur. Sed ab hac ſuſpicione aliò nos avocat *Etruſca* ratio, & diſciplina, quam ſequi cogimur hoc loco (1); nec enim *Romani* artificis elegantiſſimum

(1) In fictilibus ſepulchrorum operculis, quæ moris *Etruſci* ſunt, ſæpe quieſcentes tamquam in ſtrato videas linteo obvolutos, & vultu minio pictos; ſæpe etiam erectos in cubitum ſupra pulvinar, præſertim mulieres cultu, & ornatu ſpectandas non modico. Id, ſi quando in *Latinorum*, *Græcorumque* ſepulchris factum animadvertimus, ad hunc *Etruſcorum* ritum referendum cenſeo; neutri enim mortuos ita ſtatuere ſupra ſepulchrum conſueverant. Ac nè *Etruſci* quidem, cum id facerent, eò ſpectabant, quod nonnulli fortaſſe putaverunt; ut eorum, qui deceſſerant, deſiderium inani illâ oris imagine ſolarentur; ſed aliud quidpiam longè majus ſibi propoſuerant, &, ut ipſi opinabantur, præclarius; improborum enim ſedes quaſdam eſſe poſt mortem, æquè ac piorum, ſibi perſuaſerant, ad quas alteri quidem ad pœnam raperentur a *Furiis*, quas in hujus populi urnis agnoſcere apud *Dempſterum*, & *Gorium* facilè poſſumus, alteri a *Geniis*, *mariniſque Vectoribus*, ut alibi dictum a nobis eſt, ad vitæ jucundioris felicitatem deducerentur: vigere enim poſt mortem hominum animos, nec unà cum corpore interire arbitrabantur; ac licet tradat *Pauſan. in Meſſen.*, *Chaldæos*, & *Indorum Magos* primos fuiſſe, qui animorum immortalitatem docuerint, eiſque *Græcos*, & *Platonem* deinde aſſenſos, *Etruſcos* tamen, qui tanto ante quàm *Græci* floruerunt, id didiciſſe ab *Ægyptiis*, a quibus ducebant originem, & ad quos a *Chaldæis*, & *Paleſtinis* propagari facilius hæc veritas potuit, indicio ſunt fictilia hæc, de quibus loquimur, antiquiſſimaque monumenta, in quibus nec malorum cruciatus, nec bonorum præmia poſt mortem nobis innuerent, ſi minus rectè ſenſiſſent de hominum animis; aut expectanda ipſis fuiſſet *Platonis* ætas, ut verum docerentur. Quamquam ne *Græcis* quidem, aut *Platone* opus fuit, aut *Indorum* ſapientibus, nè in hac de hominum animis diſputatione diſſentirent ab *Etruſcis*; nàm, ut tradit *Herodotus lib. 2.*, *Lucianus de Deâ Syria*, *Plutarchus de Iſide*, *Ammian. lib. 22.*, hi quoque, idem ac *Etruſci* ab *Ægyptiis* acceperunt. Quæri de loco nunc poteſt, ubi ex *Etruſcorum* ſententiâ alii poſt obitum pœnas darent; alii laborum mercedem reciperent. Ex eorum monumentis conjicimus impios ab his in imam terram unà cum *Diis Inferis* detruſos; proborum verò domicilium in ultimo *Oceano* contra *Mauritaniæ* fines, nec enim alium ea ætas *Oceanum* noverat, conſtitutum fuiſſe. Has ſedes *Græci*, *Latinique Tartarum*, & *Elyſium* dixerunt. Utrumque *Homerus*, quem ſecutus eſt *Virgilius 6. Æneid.*, ſub terram videtur agnoſcere *Odyſſ. 4.*, cùm *Ulyſſes* victimarum ſanguine in ſcrobem infuſo *Manes* ab *Inferis* evocat; at *Odyſſ.* 11. ad *Etruſcorum* ſententiam propiùs accedit; ita enim *Protheus Menelaum* alloquitur: *Sed te in Elyſium Campum, & in fines terræ Immortales mittent, ubi flavus Rhadamentus eſt; ubi facillima vita eſt hominibus; non nix, neque hyems multa; non imber, ſed ſemper Zephiri ſtridulè ſpirantis flatus Oceanus mittit ad refrigerandos homines.* Hæc omnia congruunt inſulis, de quibus *Etruſci* agunt, & quas Veteres *Fortunatas* appellaverunt. *Plinius lib. 4. cap. 22. Caſſiterides* vocat, quorum ſex ſacræ Diis erant; vulgus modò *Canarias*. Hæ igitur *Etruſcis* beatorum ſedes fuerunt; ubi ſomno, & conviviis præcipuè operam darent; ut patet ex monumentis ſuperius indicatis, maximè verò ex *Tab. 79.*, quam affert *Dempſterus*, in quâ vir decumbit in lectulo cænatu-

mum hoc opus eſt, ſed *Etruſci*; ac proinde ex gentis illius inſtitutis, quid ea ſpectaverit hoc Signo propoſito, quærendum exiſtimo.

naturus ſervis duobus epulas miniſtrantibus; ex quo colligi etiam poteſt, qui mos *Etruſcorum* eſſet, cùm accumberent, aut quo veſtitu, cultuque uterentur. Nam de duplici coronâ, quarum altera pendebat ante pectus, ut propius illinc naribus odor afflaretur, quid dicam; cùm omnes norint, quantoperè floribus, præcipuè autem roſis Veteres delectarentur? Quòd verò putarent divinum aliquid animis ineſſe, cùm corpus exuiſſent; aliquorum faciem minio illitam videmus in his operculis; Deorum enim proprius hic color fuit, ut ait *Servius*; hinc *Jupiter Minianus*, de quo *Plinius lib.* 35. *cap.* 7. Poſtremò Signum hoc æreum, cui ſimile nullum hactenus vidi, non ad rem funebrem, ſed ornatus tantùm causâ conflatum exiſtimo; ut eſſet in domeſticâ ſupellectili, & oculis intuentium objiceret, quò eos adſpirare oporteret; dum viverent.



Greg Giusti del. Ærea T II Nicol Mogalli sc.

TABULA IV.



VEnio ad *Junonem* [1], quæ *Græcis* H'PA, *Etruſcis ERIS*, credita olim fuit *Saturni* filia, ac proinde Deorum Regina. Magni huic honores ab his populis habiti, præſertim a *Græcis* [2], apud quos nata ferebatur: plura item cognomina eidem indita, vel a loco, ubi coleretur, vel ab iis, qui templa eidem poſuerant, vel a muneribus, quæ obiret, aut aliis de cauſis. Ne longus ſim; quòd nuptiis præeſſet, dicta *Pronuba* [3] eſt; idcircò in hoc Signo capita papaverum, quæ fœcunditatis ſymbolum fuerant, tenet utrâque manu; quamquàm hoc loco non tàm nuptiarum præſidem [4] *Juno* ſe,

(1) *Junonem* ab *juvando* dici, ait *Varro* 4. *l. L.*; "Hϱα *Platoni in Cratilo* idem eſt, ac *amabilis* ab ἐϱάω; aliis ἄηρ eſt per metatheſim, ſeu literæ unius tranſpoſitionem; *Junonem* enim *aerem* ipſum eſſe cenſuerunt; quare opinatur *Gorius*, *Etruſcos* etiam in hac ſententiâ fuiſſe, & ſuum illud *Eris aerem* eſſe. Hæc curſim attigi, quòd hujuſmodi ethymologiis parum utar, & minus delecter. Ceterùm *Junonem* pro *aere* ſumptam fuiſſe teſtatur *Orpheus* in ſuo Hymno: *O Juno aeriformis, quæ vegetas auris viventes, nimborum, & ventorum mater*. Quod ut adſtruerent *Græci*, templum eidem poſuerunt ſine tecto, & foribus inter *Phalirum*, & *Athenas*. *Pauſan. in Attic.*, ut oſtenderent *Junonem*, ſeu *aerem* concludi uno loco non oportere.

(2) *Junonem* in *Græciâ* ortam eſſe omnes fatentur; *Argiſnè* tamen, ut refert *Strabo lib. 9.*, an in inſulâ *Samo*, ut ait *Pauſan. in Achaic.*, controverſum eſt. Cùm ob id ipſum utrobique culta maximè fuit, tùm non minus apud *Elèos*, a quibus, ut ſcribit *Pauſan. in Eliac.*, inſtituta ſacra eidem ſunt, & ludi, qui dicebantur *Junonii*; nàm quincto quoqne anno ſexdecim currebant ordinatim mulieres, primò impuberes, deinde grandiores ætate, poſtremò natu maximæ, quæ ad *Olympiæ* etiam admittebantur certamina, breviori tamen ſtadio iis propoſito. In ſacris autem litabatur huic Deæ vaccâ albâ; quod ait *Virgil.* 4. *Æneid. Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido Candentis vaccæ media inter cornua fundit*; eò quòd *Juno*, cùm fugerent e Cœlo Dii a Titanibus, in albam ſe vaccam mutaſſet *Ovid.* 5. *Metam.*. Sacer præterea *Pavo* illi erat, tùm quòd huic majeſtas quædam ineſt, & ſpecies major, quàm volucribus reliquis; tùm ut honor haberetur *Argo Jûs* cuſtodi, qui cæſus a *Mercurio* fuerat *Jòvis* imperio, ejus oculis ab *Junone* in caudam hujus avis traductis. Ideo adſtare huic Deæ *Pavo* ſolet, & ejus currui adjungi; ut habet *Ovid. in Metam. habili Saturnia curru Ingreditur liquidum Pavonibus æthera pictis*. Hinc etiam *Hadrianus Cæſar Pavonem* aureum, & pretioſis lapillis diſtinctum *Junoni* dicavit in ejus templo, quod erat in *Eubœâ*. *Pauſan. in Corinth.*

(3) Ita *Virgilius* quoque ſenſit 4. *Æneid. Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ*; & ibidem; *prima & Tellus, & Pronuba Juno dant ſignum*. Quare ante nuptias ei ſacrum fieri mos erat, atque adeo eamdem appellare etiam *Venerem*; cùm pro nuptiis filiorum parentes vota ſuſciperent. Cujuſmodi fuerit *Junonis Pronubæ* Signum, & cultus; legitur apud *Libanium* Rhetorem; quam deſcriptionem latinè vertit, & edidit *Frider. Morellius*.

(4) Pro locorum, & cognominum varietate diſpar quoque fuit, & varius *Jnnonis* ornatus; ut patet ex Signis, quæ ſuperſunt. Fœmineis autem munditiis ea magis excoli conſueverat, præcipuè verò diademate, cùm tamquam Deorum Regina proponeretur ab artificibus; quod factum animadvertimus in hoc Signo. Mitellæ quidem, quibus Dearum, Auguſtarumque mulierum ornari capita ſolent, in apicem deſinunt, depreſſæ tamen, & parùm extantes: contra quæ eſt in hoc Signo, multò elatior eſt, quemadmodum & alia in eâ *Junonis* icone, quâ cælari *Agrippinam* conjecimus. Utraque triangulum efficit, altera ſcutulis in ſingu-

ſe, quàm Deorum Reginam mihi videtur oſtendere; id autem intelligi poteſt ex amplo illo diademate [5], quod ab *Etruſco* artifice impoſitum ejus capiti eſt.

ſingulos angulos adjectis, altera orbiculis glandium inſtar. Aliquid ſimile habet *Ceres* cùm mitrâ apud *Gorium Tab.* 49., & *Juno* item *Regina* apud eumdem *Tab.* 24.; nihilominus illud verè affirmaverim, diademata, ſeu mitellas hujus generis vidiſſe alibi me numquam.

(5) Confer quæſo Lector hoc Signum cum altero, cujus mentionem inferius faciemus *Tab. V.* Præter Mitram, quæ *Græcanici* moris, aut *Latini* non eſt, habes tunicæ interioris partem globulis ad cubitos adſtrictam; habes plicas minores, & undarum in morem ſibi ſuccedentium fluentes; veſtium oras tæniolâ quadam prætextas; calceos demum lunatos habenis ſupernè trajectis adſutos. Hæc, quæ ex *Etruſco* ritu ſunt, in altero non reperies; quare facilè conjicies, *Etruſcum* hoc Signum eſſe, aliud non item.



Greg. Giu. li del. — Ærea T. II. — Ant. Zaballi sc.

TABULA V.



Liquam ex Auguſtis mulieribus latere ſub hoc *Junonis* Signo [1] adducor ut putem, cum ex ipſo vultu, & comarum cultu, tum ex oculorum conjectu, & corporis geſtu. Si dicendum, quod ſentiam, liberè eſt, de quo tamen non pugno, *Agrippinam Tib. Claudii* conjugem [2] in hac mentitâ *Junonis* perſonâ mihi videor agnoſcere; congruunt enim cum hoc Signo oris lineamenta, quibus in nummo *Tib. Claudii* aureo apud nos Auguſtæ hujus facies deſcribitur; nec ab ejuſdem moribus reliqua duo diſſentiunt indicia; nam dignitatem retinere, aut ſtudere gravitati non potuit mulier inquinatiſſima, & honorum maximè appetens; itaque mirari nemo debet, ſi viro imperante ea ſibi tribui paſſa eſt divinitatis inſignia, quæ *Liviæ Auguſtæ* non ita pridem delata noverat; ut tamquam *Juno* coleretur.

(1) Mulierum Auguſtarum ſtatuas ad Deæ alicujus ſimilitudinem non raró fingi ſolitas fuiſſe, teſtantur prima Imperii tempora; videtur tamen id fieri brevi deſitum, quòd, & has vanitatis, ut opinor, puderet, & populum aſſentationis tàm putidæ. *Junonis* autem hoc Signum ut putem, veſtis facit ſanè magnifica, velatum caput, & inſolens diadematis forma, de quâ dicemus alibi, quæ omnia in aliam Deam cadere non facilè poſſunt, nec *Agrippinæ*, aut ullius alterius *Auguſtæ* eſſe propria; ſi ſeipſas dumtaxat ſpectandas omiſsâ divinitatis ſimulatione præbere voluiſſent.

In hoc eodem Signo, ubi ſuperioris veſtis ſinus in angulum flectitur, flocculus pendet, quem eo loco apponere ornatus gratiâ *Etruſcorum* mos fuit; at non illud idcircò, etſi prætereà ſciam allatum ad me ex *Etruriâ* fuiſſe, *Etruſcis* adſcripſerim; nec enim interdictum hoc more exteris artificibus fuit; & elegantiores in eo veſtium plexus, omniaque ad majorem quemdam ornatum, & majeſtatem compoſita mihi videor deprehendere, quàm in *Etruſcorum* monumentis hactenus animadverterim. Prætereà ita Signa perficere, ut manus, & cubiti diverſo metallo, aut marmore elaborati iiſdem insererentur, ut patet in hoc Signo, uſitatum *Græcis* fuit; refert enim *Pauſanias in Corinth.* Signo *Minervæ Prænatricis*, *in Achaic. Veneris*, & *Mercurii*, *in Arcad. Veneris*, os, manus, & imos pedes e marmore fuiſſe. Id factum ab *Etruſcis* non comperi; quare arbitror, *Etruſcis*, *Græciſque* artibus *Latio* jam cognitis, quòd ab utriſque quidquid optimum putarent, artifices eligerent, ea artefacta extitiſſe, quæ magis excellerent, & utrique populo viderentur communia.

(2) *Germanici* viri optimi, cujus nummus argenteus eximiæ pulchritudinis apud nos eſt, a *Cajo Auguſto* ejus *Filio* percuſſus, filia item *Agrippina* fuit. Hæc ex *Cn. Domitio Ænobarbo Neronem* genuit; nupſit deinde *Tib. Claudio Aug.*; interfecta demum *Neronis Aug.* filii juſſu, cujus, cum audiret ab eo ſibi mortem illatum iri, ſi imperium cepiſſet, ea vox perhibetur; *Occidat*, *dum imperet*.



Greg. Guglielmi del. Ærea T. II. Ant. Zaballi sc.

TABULA VI.



Ccurrit hoc loco Semifer (1), pelle, ut opinor, caprinâ ſuprà pectus innexâ, rejectâque poſt humeros. Pedes quidem, & reliquum corpus humanâ figurâ ſunt; cauda verò, & aures hircinæ. Non novum eſt, hæc naturæ ludibria, quæ commenti Veteres fuerunt, in eorum monumentis agnoſcere: illud potius inſolens, quod videmus in hoc Signo, aliquem ex his reperiri truncâ onuſtum arbore (2), quæ dexteræ, & humero innixa capiti ferentis advolvitur. Quòd ſi deciſis hæc non eſſet ramis, & frondibus, amplior daretur locus ex ipſo arboris genere de re totâ judicandi. Sed quoniam

(1) Semiferi habebantur antiquitus *Satyri*, *Fauni*, & *Pan*. Quæ fuerit horum origo, incertum eſt; videtur tamen ab aſpectu montanorum hominum, & ſylveſtrium, quòd ſparſis incederent horridi crinibus, trucique vultu, pellitique vulgò eſſent, hoc monſtrorum genus inductum; cùm rudis ea ætas inſitum crederet, & eorum naturæ proprium, quod extrinſecus appareret. Meminit de inſulâ quadam in extremis Oceani finibus *Pauſanias in Attic.*, quam ab agreſtibus indigenis, caudatiſque *Satyrida* nominabant. Altera, de quâ *Pomponius Mela* ſcribit, & *Arrianus*, ultrà *Mauritaniam* fuit, quæ teſte *Hannone Chartaginienſium* duce, qui illuc appulerat, incolis carere videbatur interdiu; collucebat tamen ignibus noctu, & incredibili cymbalorum, tympanorumque ſtrepitu perſonabat. Ab hujuſmodi portentis, quæ ſua cuique credulitas finxerat, cùm ſibi malè timerent, & pecori, vota iis, & ſacra facere tamquam Diis ceperunt, præſertim *Satyris*, quos pomorum, & uvæ primitiis placabant. Hos ſemicapros ſemper, cornutâque fronte deſignare conſueverant, reliquos verò non ita; etſi enim eodem ferè modo *Pana* quoque veteres fingerent, tamen quòd non hujuſmodi eſſe crederent, ſed Diis aliis ſimilem, *Herod. in Euter.*; non ita eum ſemper dehoneſtandum cenſuerunt. Idem dico de *Faunis*, quibus capra fiebat; quos licet *Ovidius Cornipedes* appellet 2. *Faſt.*, & in *Oenone Cornigeros*, tamen humanis plerumque pedibus effictos videmus, & ſine cornibus. Quæri hoc loco poſſet de *Sileno*, & *Sylvano*, quorum ſi prior ad *Satyros* genus refert, *Silenos* enim quidam volunt alios non eſſe, quàm *Satyros* natu grandiores, alter verò, ut aliqui ſentiunt, ad *Faunos*; ſemiferis adſcribi eos quoque oporteret; gratificari tamen utrique video veterum monumenta, quòd humanâ potius formâ hos nobis deſcribant, aliquâ dumtaxat notâ iiſdem ut plurimum relictâ, ut appareat, agreſtes eos Deos eſſe.

(2) Ex *Dendrophoris*, quorum erant etiam collegia, alii ligna parabant, comportabantque negotiationis causâ vel in rem militarem, vel ad ædificia extruenda. *Salmaſ. in Spartian.* Alii religionis gratiâ ferebant humeris arbores, quod propriè ea Græca vox ſonat, in honorem *Bacchi*, *Sylvani*, aut *Matris Deorum*. *Artemid. lib.* 4. *cap.* 42. Pinum fuiſſe ſcribit *Voſſius*, quam in *Dendrophoriis*, ſeu *Cibeles* ſacris in ejus templo deinde ſtatuebant; more non abſimili, licet diverſo conſilio, quo etiam nunc ruſtici Majo ineunte arborem, quam *Majum* vocant, lætantes ferunt, & in pagi foro conſtituunt; tamquam redditam agris amœnitatem, & ſibi fructuum ſpem gratulentur. Ad hos referendum hoc Signum arbitror potius, quàm ad eorum aliquem, de quibus *Pauſanias* meminit *in Boeotic.* Ait enim antrum fuiſſe apud *Magnetas Apollini* ſacrum, a quo, qui illuc ingrediebantur, mirum ſibi robur afflari ſentirent ita, ut præcelſas etiam arbores ab radicibus evulſas ferrent nullo negotio per anguſtiſſimos tramites. Loquitur ibi *Pauſanias* de hominibus, & quidem *Apollini* dicatis; nos de *Semifero* agimus; quid autem huic cum *Apolline* commune eſſe poſſit?

niam in rebus dubiis, *eſt quodam prodire tenus*, *ſi non datur ultrà*, ut ait *Horat. l. epiſt.* 1.; novum verò quod eſt, & inſolens, magis nos allicit, ut de eo aliquid audire velimus, & quærere; ſi roger; quidnam id monſtri eſſe putem; non penitus aberraturum a vero me ſuſpicor; ſi conjecero *Sylvanum* [3] hunc eſſe.

(3) *Sylvanus* apud *Gruterum Dendrophorus* vocatur in hac epigraphe: *Sylvano Dendrophoro Sacrum. M. Publicius Hilarus Margaritarius Quinquennalis Perpetuus cum Liberis Magno, & Hermoniano Dendrophoris Magnæ Deum Matri De ſuo fecit*. Cum itaque appellatus ita ſit, quòd cupreſſum geſtaret, aut pinum. *Virgil.* 1. *Georgic. Signum marmoreum apud nos*; & a *Dendrophoris* cultus, quòd ſylvarum præſes eſſet, & cuſtos; quid eſt, cur in hoc Signo aliud potius, quàm *Sylvanum* oſtendi nobis putemus? Aut quid mirum videri debet, ſi eâ notâ inſignitum aſpicimus, quâ ornati clientes illum ſui venerabantur; cum præſertim percipi ex hoc poſſit, quo potiſſimum nomine eumdem artifex colendum proponeret?



Greg. Guglì del   Ærea T II   Nicol Mogalli sc.

TABULA VII.



Olem quis dicere falſum audeat? Georg. 4. Ordior enim libenter ab hoc *Maronis* epiphonemate, non ut hanc laudem *Soli* aſseram, quæ tamen in eum non cadit; nam inanimis cum ſit, & agat ex naturæ legibus, nec verax eſſe poteſt, nec falſum effari; ſed ut mirer potius, quoniam fatidicus ab *Ethnicis* habitus fuit; cur, ut *Cæſare* interfecto fraudes olim luce depoſitâ monuit, & operta tumeſcere bella; ita non caput etiam ferrugine tinxerit; cùm de ſe tam ridicula Vates fabulaturos prævideret. At lucis ſuæ copiâ nebulas ſaltem non ſibi incretas, ſed ab his offuſas diſpuliſſet (1)! quæ quidem in ipſos auctores meritò reciderunt;

(1) Unum eſſe *Solem* compertum omnibus eſt; idcircò, ſi qua nubes aliquando *Solis* formam induerit radiis ejus inſeſſa, mirantur portentum imperiti, ſibique ab eo malè timent. At ſi Veteres audiamus, non duos *Soles*, ſed plures habemus, quos ita *Cicero* recenſet 3. *de Nat. Deor. Unus eorum*, qui *Soles dicti ſunt, e Jove natus nepos Ætheris fuiſſe dicitur; alter Hyperione; tertius Vulcano Nili filio, cujus urbem Ægyptii volunt eſſe eam, quæ Heliopolis appellatur; quartus is, quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperiſſe dicitur, avum Jaliſi, Camiri, & Lindi; quinctus, qui Colchis Æetam, & Circen fertur procreaſſe*. Primi, *Herodoto* teſte *in Euter.*, Diis liberos tribuerunt *Homerus*, & *Heſiodus*, a quibus cùm de Diis cogitare humano more *Græci* didiciſſent, ea ſubſecuta cura eſt, ut ſingulorum, qui Dii haberentur genitores inquirerent, ſeu potius comminiſcerentur. Quòd vero alii alia ſentirent, nec ſibi conſtarent, ut fit in fabulis; eò deducta res eſt, ut unus, & idem Deus, cujus varii genitores perhibebantur, diſtraheretur in plures. Id & *Soli* accidit ex allatis *Tullii* verbis. Ad hanc Deos augendi facilitatem alia acceſſit non minor; quòd ex hujus rerum univerſitatis operibus, quæ ſibi utilia eſſe noverant, aut etiam noxia, de quibus modò non loquor, ea non gravatè referrent in Deos; quare *Solem*, ex quo tam manifeſta in hominum genus commoda derivarentur, alterum ab *Jove* rerum omnium parentem opinati ſunt; ita enim ſibi perſuaſerant, reliquorum Deorum vim, & potentiam in unius *Solis* naturâ contineri. Satis id eſſe potuit; ut a rerum aliarum cultu abſtinerent; ſed hominum dementiâ, & mali Dæmonis fraude, quò latè *Polytheiſmus* augeretur, factum exiſtimo; ut rebus tamen ſingulis, unde aliquis fructus caperetur, divinos honores tribuerent; perinde ac ſi aut *Sol* ipſe, aut reliqua item creata non ab uno Deo rerum omnium opifice, ſed a ſe ipſis haberent, ut prodeſſe mortalibus poſſent. Quam itaque utilitatem fabulæ afferunt, ut quidam volunt; quaſi verò oboriri ex tenebris ſapientiæ lux poſſet, aut ex inſanientium deliriis veritas eliceretur? Neque ii mihi ſatis probantur, qui in hujuſmodi nugis explicandis toti ſunt, eaſque aut ad mores, ant ad res phyſicas referunt: nimium hi fabulis tribuunt, ſibi fortaſſe parum; qui ſæpe ea proferunt, quæ numquam Veteres cogitaverunt; aut dum quædam interpretantur, ut poſſunt, quædam omittunt difficultate victi, ineptiunt & ipſi non rarò.

Sed ut redeam, unde abii; aliquid tandem fabulatores viderunt acutius, cum *Solem*, ſpectatâ lucis magnitudine, & inter ſtellas principatu, Dei imaginem quamdam, & ſimulacrum putaverunt. Utinam autem id de uno, veroque Deo intellexiſſent! Sed hæc ab *Ethnicis* expectanda ſapientia non fuit, quæ licet tot indiciis agnoſcendam ſe illis præberet, ſi adſpira-

runt; ut enim iterem, quod alibi attigi; dum vigilantes illi ſomniant, & quod verum eſt, aut aliquam habet veri ſimilitudinem, negligunt, modò fabulas perſequantur; ingenii vim omnem, & quæ rationis lux ipſis affulſerat, tenebris obruerunt. Id intelligi ex notis poterit, quas ſubjicio.

re ad eam voluiſſent, cæci tamen eſſe, & qui ſupremo rerum auctori honos debebatur, rebus deferre maluerunt. *Soli* igitur Signa, & Templa erecta: nummi etiam illius imagine *Romæ* ſignati; pulchrum enim *Cæſares* arbitrabantur, *Soli* videri ſe ſimiles: Hoſtiæ quoque eidem cæſæ, equus apud *Perſas*, ut ait *Ovid. in Faſt.*; aper apud *Græcos Homero* teſte 7. *Iliad.* Quin *Lybiæ* populi, ut tradit *Herodotus in Melpom.*, *Soli* tantùm, & *Lunæ* immolare conſueverant. Urbes demum, & inſulæ ejus nomini dicatæ, *Rhodus* præcipuè, de quâ *Solinus* nullum ſcribit eſſe diem, quo *Sol* ibi non appareat. Meminit etiam hic auctor, & *Plinius* alterius inſulæ *Soli* ſacræ in mari *Indico* inter promontorium *Colaicum*, & *Taprobanam*, quæ ſemper rubet; ſi qua verò illuc advehantur animalia, ea ſtatim aër exanimat. Eſt & locus in *Æthiopiâ*, qui *Solis menſa* dicitur, ut refert *Pomponius*, epulis, quæ divinitus, ut ajunt, renaſcuntur, ſemper refertus, & patens veſci volentibus. Ad hunc rei famâ commotus, cùm *Alexandriam* veniſſet, profectus *Alexander Severus* eſt; ut tradit *Spartianus*. Ab hoc commento progredior ad aliud, ſcilicet ad currum, quo creditus vehi *Sol* eſt. Ejus equi duo ſunt *Homero* 4. *Odyſs.*, *Lampes*, & *Phæton*; quatuor *Euripidi in Phæniſſis*, & *Ovidio* 2. *Metam.*, qui ita eos appellat. *Pyrois, Eous, & Æthon Solis equi, quartuſque Phlegon.* Hos, & currum die occidente mergi Oceano putaverunt: *Virgil. 3. Georg. de Sole. Nec cum invectus equis altum petit æthera; nec cum Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum*; Nondum enim *Antipodes* innotuerant; itaque oculorum ſpecie decepti Oceanum Cœlo terminari arbitrati ſunt. Quoniam verò revertendum *Soli* erat in Orientem; ut lucem terris inferret; parvo navigio, quod poculum a forma nominaverunt, illuc ajunt remeaſſe per noctem *Steſichorus*, & *Antimachus*; alii toro exceptum aureo, quem *Vulcanus* perfecerat, eò navigaſſe dormientem. Sed quem *Horæ* currum *Soli* jam reduci, & experrecto paraverunt; ſi is, quo venerat in Occidentem, unà cum equis item dormientibus relatus in Orientem non eſt? Hæc ejuſmodi ſunt; ut rideri faciliùs poſſint, quàm explicari.



Greg. Giusti del. Ærea T. II Ioan Ottavian. f.

TABULA VIII.



N *Exquiliis* prope *Titi Cæsaris* thermas repertum hoc Signum fuit singulari artificii elegantiâ, quod Vir *Cl. Gregorius Alexander March. Capponi Forerius Pontificius Major* huic Museo benignè legavit unà cum reliquis antiquitatis monumentis, quæ diuturno studio sibi comparaverat. Matronalis habitus, & plena dignitatis species *Junonem* (1) refert, seu potius, quemadmodum mecum sentiunt, qui Signum inspexere, *Liviam Drusillam Augustam*, quam veteres artifices, ut ab eâ gratiam inirent, *Junonis* amictu, & formâ describere consueverant. Nupsit hæc prius *Tiberio Neroni* (2), deinde ejus concessu, & adhuc prægnans *Octaviano Aug.*, quem ita sibi devinxit mulier callida (3), miræque prudentiæ; ut & conjunctissimè cum eo semper vixerit, & supremis tabulis hæres unà cum *Tiberio* relicta ab eodem fuerit (4), & in Familiam

(1) Cultu pari, & capite ita velato ornatas videmus præter *Junonem*, etiam *Vestam*. *Montfauc. Tom. I. Antiq.*, *Pietatem* in nummo apud *Bellinum*, *Pudicitiam* in nummo aureo *Herenniæ Etruscillæ* apud nos. Transiit hic idem cultus ad mulieres Augustas, quæ consecratæ jam fuerant; ut patet ex nummis *Faustinæ*, *Paulinæ*, & *Marinianæ*. Verecundior tamen assentatio *Romæ* fuit imperio nondum satis confirmato; in tribus enim æreis nummis mediæ formæ, in quibus legitur *Pietas*, *Salus*, *Justitia*, latet potius *Livia*, quàm liquidò appareat; licet hos nummos Antiquarii ad eam pertinere arbitrentur. Donata statuis deinde est post *Drusi* filii mortem, quæ solatio ipsi essent in eo luctu; itaque liberius ex eo tempore puto & suâ, & *Junonis* imagine sculpi, excudique consuevisse; ut tamquam Deorum Regina coli videretur. Certè *Ovidius*, quem exilii calamitas ad assentationem erudierat, *Liviam* designat solo *Junonis* nomine: *Cum tibi contigerit vultum Junonis adire*: & *Prudentius*; *Adjecere scelus, fieret quo Livia Juno*. In nummo Græco Gazæ Mediceæ legitur Ἥρα Λιβια *Juno Livia*. Meminit hujus nummi, vel alterius simillimi *Vaillantius*. *Vide Svet. Patin. Spanhem.*

(2) Ex hoc genuit *Livia Tiberium*, qui *Augusto* successit, & *Drusum*, quem *Majorem* dixerunt. Hic tertio mense, postquàm mater *Augusto* nupserat, natus est; obiit autem in *Germaniâ*, quam magnâ ex parte domuerat, equo collapsus, & fracto inde crure, ann. æt. 30.

(3) Quòd & dissimularet egregiè, quæ ipsa vellet, & quæ *Augusto* placerent, studiosè quæreret, eorumque satageret; hinc numquam apud eumdem offendit, qui ejus præterеà monitis obsequi, ipsamque in consilium de rebus etiam publicis adhibere solitus erat. Ambitione tamen non caruit mulier suorum amantior, quàm juris; sustulit enim occultis fraudibus *C.* & *L. Cæsares Augusti* nepotes; quòd hos filiis suis prælatos videret. *Patin.*

(4) De testamento *Augusti* ita *Svetonius*: *Hæredes instituit primos Tiberium ex parte dimidiâ, & sextante,*

liam *Juliam* adſcripta ; quapropter *Julia* quoque vocari deinde cepit, & *Auguſta*. Poſt obitum vero *Auguſti* a *Tiberio* filio neglecta, & ab omni Imperii adminiſtratione ſubmota, cum deceſſiſſet annos nata ſex, & octoginta, a *Claudio* Principe relata inter Deas eſt.

te, Liviam ex parte tertiâ, quos & ferre nomen ſuum juſſit. Poſt hanc adoptionem additum *Liviæ* cognomen *Auguſtæ* eſt, quo nec a *Latinis* honeſtata prius fuerat, nec a *Græcis* ; in nummo enim *Auguſti* apud *Morellium* Θεα dumtaxat ante adoptionem vocatur, ideſt *Dea*, vel *Juno* non verò Σεβαςη ; addo etiam, frequentius poſt id tempus *Juliam* in nummis appellari conſueviſſe, quàm *Liviam*. Prætereà poſt *Auguſti* apotheoſim ejuſdem filiam quoque dictam fuiſſe diſcimus ex *Vellejo*, & ex nummo ita inſcripto : *Divæ Juliæ Aug. Filiæ* ; & , *Divus Auguſtus Pater* ; nec enim de *Juliâ Auguſti* , & *Scriboniæ* filiâ intelligi id poteſt, nam inquinatiſſima mulier hæc fuit, & inter Deos numquam relata. Tandem etſi mandari antea Sacerdotia mulieribus non ſolerent, *Divi Auguſti* Sacerdos renuntiata a Senatu ea eſt. *Juliæ* igitur *Auguſtæ* delatus hic honor primùm fuit ; deinde *Antoniæ C. Cæſaris* Aviæ, poſt quarum exemplum Conjuges, Liberi, Propinqui hujuſmodi Sacerdotiis initiati ſubſecutis temporibus fuerunt. *Spanhem*.

pag. 39



Greg. Giusti del. Ærea T II Fran. Barbazza sc.

TABULA IX.



Dearum agreſtium[1] numero *Pomonam* eſſe omnes fatentur; prodit tamen hæc ita culta in hoc Signo, ut, ſi talem ſe oſtendiſſet; cum *Helena* viveret; quemadmodum *Vertumnus* eidem aſſentando ait apud *Ovid.* 14. *Metam.: Helene non pluribus eſſet Sollicitata procis*. Idem hic ornatus fecit; ut primùm ſubdubitarem; utrum ſuperioris ordinis Deam aliquam potius agnoſcerem ſub hac formâ, quàm hanc hortenſem, & penè ſubruſticam. Verùm etſi lapilli, baccæque, quibus capitis vitta, pectuſque diſtinguitur, comæ quoque tam comptæ,

(1) Ubi olera proveniunt; horti modò appellantur: olim loca erant ad omnem amœnitatem compoſita, & arboribns etiam pomiferis conſita, in quæ *Romani* divertere animi gratiâ conſueverant. Hanc agriculturæ partem qui ab *Jano Etruſcorum* Rege inventam aſſerunt, ii mihi nugari propemodum videntur; nullus enim populus tam habes fuit, quem ad victnm, quoquo modo poſſet, ſibi parandum non inſtituerit *Magiſter artis, ingeniique largitor venter*. *Perſius in proem.* Cum igitur in promptu *Italis* fuerint arbores ad frugem idoneæ, ex quibus fructum caperent non pœnitendum; quid *Jano* præceptore opus fuit, ut eas colerent; nec ſua quemque potius in hanc curam aut illexit voluptas, aut adegit inopia? Ceterùm *Etruſcos* in re agrariâ induſtrios fuiſſe, & in hortorum apparatu diligentes facilè mihi perſuaſerim; delicatuli enim ſunt habiti, & voluptatibus dediti; nec fortaſſe diffiterer finitimis eos præſtitiſſe in pomariis conſerendis; ſi evinci illud poſſet, quod, qui *Jano* favent, eadem operâ prædicant, pervetuſtam in *Etruriâ Pomonæ* religionem fuiſſe, & inde ad *Latinos*, & *Romanos* traductam; ſed ex omnibus monumentis, quæ ad hunc populum pertinent, duo, ut id adſtruant, afferri Signa video, alterum a *Dempſtero Tab.* 41., a *Gorio* alterum *Tab.* 3., quod utrumque, quia pomum manu tenet, *Pomonæ* adjudicant. Verùm quid ſi potius *Veneris* hæc Signa ſunt? Hujus certè indicium, & peculiaris nota pomum fuit; *Pomona* verò quemadmodum ab Antiquis deſcriberetur, planè nos latet. Itaque *Bonarotius*, etſi nihil certi ſtatuat, ſuſpicatur tamen, nec abs re, *Dempſterianum* illud Signum *Veneris* eſſe. Alterum, quod profertur a Gorio, myrteâ coronâ præcinctum eſt; quis autem neſcit, myrtum *Veneri* ſacram fuiſſe? Accedit igitur alia hæc ratio; cur hoc quoque *Pomonæ* detrahendum videatur; præſertim cum hoc Signum, ſeu veſtitus ſpectetur, ſeu matronalis dignitas, nihil habeat, quod aptè, rectèque *Veneri* convenire non poſſit. Quare, quæ de *Pomonæ* cultu apud *Etruſcos* dicuntur, etſi nolim inficiari; vellem tamen firmioribus momentis, & Veterum auctoritate ſuffulta; quæ duo deſiderari nihilominus video. Pauci ſunt ex omni antiquitate, qui de *Pomonâ* ſcripſerunt, & hi quidem non niſi modicè, & obiter; quod ipſum indicio mihi eſt, non admodum veterem hujus Deæ famam, & religionem fuiſſe. De eâ ita *Ovid.* 14. *Metam. Jamque Palatinæ ſummam Proca gentis habebat. Rege ſub hoc Pomona fuit, quâ nulla Latinas Inter Hamadryadas coluit ſolertiùs hortos; Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtus; Unde tenet nomen*. Ex hoc loco ad *Latinum* populum hanc Deam pertinuiſſe potius, quàm ad *Etruſcum* intelligimus; eam autem fuiſſe non multo ante *Romam* conditam tempore; avus enim *Romuli Proca* fuit ex eodem *Ovid. in Faſt.*, *&* *Dionyſio*. Hæc hortis præfuiſſe dicitur, & arboribus, quæ eſſent quoquo modo pomiferæ; quare apud *Romanos*, qui utriſque plurimùm delectarentur, magno in honore fuit, aucta luco, & Æde ad X. ab Urbe lapidem viâ *Oſtienſi* in agro *Salonio*, qui locus *Pomonal* dictus eſt auctore *Feſto*, & Flamine, a quo ejus ſacra curarentur, & qui *Flaminum* quindecim aliorum poſtremus loco fuit, & tempore, cognomento *Pomonalis*. De *Vertumno*, cui hæc demum nupſit, dicere non eſt hujus loci. *Vide Ovid.* 14. *Metam.*, *&* *Propertium el.* 2. *l.* 4.

ptæ, cirrique e capite in humeros ſcitè promiſſi cum *Junonis*, aut *Veneris* ipſius dignitate conſentiant; tamen longè remota ab his ſunt, & abhorrent frondentium pomorum varietas, & copia, quibus Icon ſuccingitur, & quæ me proinde, ut de humilioris notæ Deâ cogitarem, planè monuerunt. Quorſum igitur ornatus[2] tam elegans? Ut oſtenderent priſci illi ſuperſtitionis cultores; quanto in honore habendas putarent, quas tamquam Deas venerarentur: ne verò diſcriminari ob id ipſum, & internoſci non facilè poſſent, ſedulò curaverunt; ut aliquid earum ſimulacris apponerent, quod unicuique peculiare eſſet, & proprium. Utrumque ſervatum videmus in hoc Signo.

(2) Deas apud *Etruſcos* monilibus, armillis, inauribus, omnique elegantiarum hujuſmodi genere cultas videmus; hæc enim arbitrabantur Deorum, Dearumque propria eſſe vel formæ additamenta, vel divinitatis inſignia; idcircò mulierum, præſertim honeſtiorum, imagines modico plerumque, aut nullo etiam ornatu comebant. Idem *Romanorum* mos fuit; niſi quod parciùs hi videntur lapillis, & baccis uſi. *Bonarot. in append. ad Dempſter*.

(3) *Mulier formoſa supernè*, ut *Horatii* verbis utar, deſinit in *Terminum*, veſte ad lumbos collectâ, & utrimque undarum inſtar eleganter defluente. Rudes primò lapides *Termini* fuere; deinde capita Deorum iiſdem inſculpta, eorum præcipuè, qui fines, & agri fruges tuerentur; poſtremò Philoſophorum etiam; ſed hæc poſtrema ornatus tantùm gratia. Magna apud Antiquos *Terminorum* religio fuit, quos præter ſacra, quæ fiebant *Terminalibus*, floreis ſertis ornare, & frugum primitiis placare ſolebant, præſertim ſi quod eſſet in villâ Numinis Signum, cujus in tutelâ ea foret. De *Terminis* ita *Tibullus El.* 1. *l.* 1. *Nam veneror; ſeu ſtipes habet deſertus in agris, ſeu vetus in trivio florea ſerta lapis*. De Cuſtode, & Patrono *Propertius El.* 2. *l.* 4., ubi de ſe ita loquitur *Vertumnus*. *Prima mihi variat liventibus uva racemis; Et coma lactenti ſpicea fruge tumet. Inſitor hic ſolvit pomoſâ vota coronâ; Cum pirus invito ſtipite mala tulit*. Denique de floribus etiam campeſtribus hæc addit. *Nec flos ullus hiat campis; quin ille decenter Impoſitus fronti langueat ante meæ*. Ajunt enim *Vertumnum*, ut aliquid de eo tamen dicam, genere *Etruſcum*, cum *Vulſinii* obſiderentur, a *Romanis* evocatum, quæ duo ipſe de ſe fatetur apud *Propertium*, præcepta tradidiſſe de vineis, & pomiferis arboribus ſerendis. Hoc poſtremum refert, nullo tamen Veterum allato teſtimonio, *Antonius Fanenſis Ovidii* Scholiaſtes in *lib.* 14. *Metam.* Mihi veroſimilius eſt, quòd hic in omnes figuras ſe verteret, pro anno ipſo habitum, cujus tempora perpetuò varia, & ſibi ſuccedentia rerum copiam afferunt, & idcircò etiam ab agricolis cultum. Sed quidquid ſit de hoc; mirum non eſt; ſi *Pomona*, quæ ruri præerat, in *Termini* figuram abeat aliquando, quaſi munerum ſuorum perennitatem adpromitteret; & ubi poſterior forma ſuperiori conjungitur, ipſa quoque uvâ coronetur, pomis, & floribus.



Greg. Giusti del. — Ærea T. II. — Ioan. Ottaviani f.

TABULA X.



Nam ex Diis omnibus *Palladem* proximum *Jovi* locum tenere Poetæ tradiderunt; quòd natam arbitrarentur e *Jovis* capite, eamdemque divinam illam esse mentis vim, & sapientiam, quæ cum hominibus communicata tamquam donum, ut ait *Plato*, omnium præclarissimum, similes ipsos supremo Numini efficeret, eaque suggereret, quæ ad morum honestatem, & ad vitam privatim, & publicè feliciter traducendam apta magis essent, & propria. Miror tamen hanc ipsam divinæ auræ particulam, quæ ipsis affulserat, humi eos affigere, tantâque fabularum caligine obumbrare voluis-

(1) De *Jovis* inter Deos principatu loquutus *Horatius* statim addit: *Proximos illi tamen occupavit Pallas honores*. *Od.* 12. *lib.* 1. Hanc e *Jovis* cerebro génitam primus docuit *Stesichorus*, quem sequutus est *Apollonius* 4. *Arganaut.* Non inscitè id quidem, prout ea ferebant tempora. At quàm absurdum illud, & non credibile, quod additum deinde est, diffindi a *Vulcano Jovi* caput oportuisse bipenni impacta; ut *Pallas* uasceretur? Irridet hoc totum *Lucianus in dial.*, quod graphio descriptum vide in patera apud *Dempsterum*, & *Gorium*. Quin id ipsum, in quo aliquid fortasse sapuerant, cum *Palladem Jove* natam dixerunt, brevi fabulatoribus minus arrisit; non enim amplius *Jovis*, sed *Neptuni*, & *Tritonidos* in *Africa* paludis filiam haberi voluerunt. Ita *Herodotus in Melpomene*, & *Pausanias in Attic.* Quamquam non defuerunt, qui dicerent, non ex ea palude genitam, sed altam dumtaxat apud *Tritonem* amnem; ubi *Machlyes*, & *Auses* accolunt, quorum populorum virgines in turmas divisæ, auctore *Herodoto* ibidem, cum festum *Minervæ* diem agerent, ita lapidibus se cædebant, & fustibus; ut quæ plura tulisset vulnera, ea magno aliarum plausu, curru ante paludem circumducta domum reduceretur. Quemadmodum autem qui aliquid nunciant, semper aliquid afferunt, atque apponunt de suo; ut faciant id, quod nunciant, lætius; ita mihi fecisse *Græci* videntur, qui fabulis, quas acceperant, addentes semper aliquid, aut detrahentes omnia miscuerunt; alii enim *Palladem Itonii*, *Pallantis* aliqui, nonnulli *Cranai* filiam esse dixerunt: ipsam præterea *Palladem* a *Minerva* distinxit *Apollonius*, ut hæc filia sit, illa mater. Quidam contrà plures agnoscunt *Pallades*, quas enumerat *Cic.* 3. *de Nat. Deor.*, inter quas *Palladem* refert *Ægyptiam*, quam, inquit, *Saitæ* colunt, Hæc apud nos in pariete palmari fermè altitudine est, nuda quidem, sed hastata, nec sine galea, & pede supra crocodilum imposito. Jam verò in tanta hac opinionum varietate quis umquam olim *Palladem* audiens de *Sapientia* cogitaret, aut ipsam demum *Palladem*, quænam esset, agnosceret?

Venio ad arma, quorum usum *Palladi* æquè, ac pacis artium *Græci* tribuerunt. Horum alterum evincit *Patera Dempsteriana*, de qua supra diximus; in eâ *Pallas* armata e *Jovis* capite prosilit; alterum *Patera*, quam dedimus *To. I. Tab. XVIII.*; in hac enim puellari amictu prodit, & galeæ loco tecta calanticâ. Præcipua ejus arma quæ fuerint, canit *Ovd.* 5. *Metam.* *At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam, dat galeam capiti, defenditque ægide pectus*. Galeam *Homerus* κανὴν vocat a pisce, seu cane fluviali, cujus pelle caput olim tegebatur pro casside; ut ex *Eustathio* notat *Teirbius antiq. Homer l.* 4. Ex hoc genere dixerim, eam esse potius, quàm æream, quæ præfertur ab hoc Signo; movet enim me, ut ita suspicer, subrudis galeæ ornatus, & fascia, quâ supra Deæ frontem concluditur. *Ægis* ex *Servio in Æneid.*: *pectoris munimentum fuit Gorgonis caput habens in medio*. Fuit & scutum, quale illud *Jovis*, de quo *Virg. l.* 8. &

voluiſſe; ut dum ſibi ſolis ſapere geſtiunt, & inanem ingenii oſtentationem pluris faciunt, quàm veritatem, ceteros non tam docerent, quàm fallerent. Si enim, quòd populus propter ingenii tarditatem, & imperitiam minus percipit, quæ ſubtilius dicuntur, conveſtiri hæc imaginibus, quæ cadunt ſub ſenſus, oportuit; ſuſpicari jam tum facilè potuerunt, eò rem proceſſuram; ut idem populus, quod oculis intueretur, ſtatim arriperet; cetera, quæ laterent, ne cogitaret quidem; ac proinde aditus quoque ad ea, quæ innuerent, cognoſcenda paulatim obſtrueretur. Id & in *Pallade* factum fuiſſe, oſtendemus in notis.

Herculis apud Heſiodum. Ut ab *Ægyptiis* galeam, & ſcutum mutuati *Græci* ſunt; ita ab *Afris*, qui erant circa *Tritonidem*, veſtes, *&* *Ægidas* ſimulacrorum *Minervæ* iidem acceperunt. Utrumque teſtatur *Herodotus in Melpom.* Igitur, ſeu monſtri cujuſdam terrâ geniti, quod *Pallas* ſuſtulit, corium hæc Dea clypeo, & pectori obduxit ſuo; ut refert *Diodorus lib. 3.*; ſeu ad caprinas tantùm pelles, quibus *Africanæ* amiciebantur mulieres, referendum id eſt; habemus, quid ſint *Ægides*, & caput monſtroſum, quod eiſdem præfigitur ad hoſtium terrorem, & *Palladis* oſtendendam virtutem. Mirum autem non eſt; ſi caput hujuſmodi in hoc Signo ſerpentibus careat; etſi enim *Meduſæ* putem eſſe, cujus crines *Pallas* in angues mutavit, non monſtri, de quo *Diodorus*; diſertè tamen docet *Herodotus*, pendentes ex *Ægide* ſimbrias non ſerpentinas ſemper fuiſſe, ſed aliquando etiam loreas.

Præter bellica inſtituta, quibus *Pallas* ita claruit; ut *Cic. 3. de Nat.* belli inventricem eam vocet; huic ædificandi rationem *Lucianus in Herm.*; lanificium, & textrinam *Theocritus Æclog.* 34., & *Ovid. Faſt.*; huic item alii agrorum culturam, & arborum, præcipuê verò olivarum tribuunt; nihil denique eſt aut excogitatum, aut perfectum ingenio, quod *Græci Palladis* unius nomine complexi non ſint. Noctuam eidem ſacram putant; quòd hæc perſpicax ſit in iis pervidendis, quæ noctu latent; quemadmodum *Palladis* proprium eſt, nimirum ingenii, & ſapientiæ, ea noſſe, quæ rerum teguntur caligine.

pag. 47.



Greg. Gug.li del. *Ærea T II* Ant. Zaballi f.

TABULA XI.



Enis formâ leniter ſupra terram reclinati pingi fluvios [1] conſueviſſe, urnâ plerumque, unde aquæ ſcaterent, ad latus appoſitâ, nemo ignorat. Hunc morem ad fontes etiam deſignandos traductum animadvertimus in hac Tabulâ, in quâ tamen, quia minor aquarum copia, nec ſpecus, ex quo profluit, nativus; deduci enim rivi facilè poſſunt, & aliò, ut erumpant, converti; junior in arteſactâ rupe Genius [2] aſſidet, & imberbis: brevior idcircò eidem pallii, quo infra pectus obtegitur, modus eſt, & contractior, quàm quo fluviorum velantur imagines; haſta quoque, ſeu baculus dextrâ elatus arundinis loco; nec

(1) Aquis omnibus divinam quamdam vim ineſſe, ortumque ab eis duxiſſe non inanima ſolùm, & bruta, ſed humanum quoque genus, & Deos, Veteres putaverunt; itaque de Oceano, a quo, quidquid ubique aquarum eſt, manare crediderunt, ita loquitur *Orpheus in Hymn. Oceanum voco Patrem incorruptum, & ſemper fluentem, Deorum immortalium genitorem, & mortalium hominum*. Idem *Homerus* ſentit, & *Virgilius* 4. *Georg.*, qui Oceanum appellat *Patrem rerum*, utique ex *Thaletis Mileſii* ſententiâ, qui primus, ut ait *S. Juſtinus M. orat. parænet. ad Græcos*, phyſicam aggreſſus philoſophiam eſt, omniaque exiſtere ex aquâ docuit, & in eamdem redire. Quare mirum non eſt; ſi Ethnici fluviis ſingulis, & fontibus ſingulos Deos cognomines, & indigenas, qui tamen nihil aliud erant, quàm aquæ ipſæ, præſidere cenſuerunt. Hos accolæ venerabantur; ut leniter fluerent, ac ſatis prodeſſent, & pecori. Idcirco in Fontium honorem *Fontinalia* quoque ſacra inſtituta ſunt *III. Id. Octob.*, quo die feriati agricolæ, ut ſcribit *Varro de leg.*, florum coronas in fontes jaciebant, & puteos non ſine victimâ, quam iiſdem immolabant; ut colligitur ex *Horat. l. 3. od. 3. O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro, molli digne mero non ſine floribus, cras donaberis hædo, cui frons turgida cornibus primis*.

(2) Paluſtrem ut plurimùm arundinem, quòd frequens ea ſit ad amnium ripas, manu geſtare videmus, eâque coronari fluviorum ſimulacra. Contra Genius hic galericulo potius quodam præcingitur, qui mitellæ inſtar ſupra frontem attollitur, tribuſque veluti floſculis in medio, & ad ima curvaturæ latera ſuper aures diſtinguitur. Simile quiddam apparet *Tab. IX. & XIX.* in *Tom. I.* hujus operis; & in *Muſeo Goriano Tab. VII. & XLVIIII.* Cujus autem moris ornatus hic ſit, *Græcinè*, an *Etruſci*, ignorare me fateor; certè *Latini* non arbitror. Quod pertinet ad haſtam, quam manu præfert hoc Signum; hanc tenet *Oceani* etiam effigies apud *Natalem Comitem Mythol. l.* 4.; nec enim in aquis ſalſis ſuccreſcunt arundines; ſed hoc exemplo non utor; quòd neſciam, unde auctor id ſumpſerit. Alia item *Oceani* effigies cum haſtâ, & alteri, quam ſuprà recenſuimus, perſimilis eſt apud *Montfauconium Tom. I. lib.* 1.: ſcio autem haſtam olim pro ſceptro adhibitam, ac proinde *Oceano* Deorum parenti debitam. Quid igitur *Fontinalis* hic Deus, & ab *Oceano* profluens haſtam tenere in umbratili illo ſuo regno non potuit; cùm tugurium ceſpite contextum licuerit *Melibæo* appellare *ſua regna*? *Virg. Ecl. I.* Aut ſi quis baculum eſſe mavult; cur hariolari fas non ſit, id factum idcirco; ut quemadmodum ab hortis volucres *Priapi* infixa capiti arundo, *Horat. l. 1. ſat. 8.*, ita ab eo pomario Genii hujus baculus fures abſterreret, & pecora?

nec enim fontium ripis adnaſci ea ſolet; pomum denique alterâ manu contentum, quod indicio ſit, fontem hunc eſſe, eumque ad pomarii alicujus irrigationem comparatum (3).

(3) Magna ſemper aquarum, & fontium habita ratio eſt in re ruſticâ; quòd exploratum eſſet omnibus, nihil gigni ſine humore poſſe; idcirco *Cererem*, quæ eadem, ac *terra* apud Antiquos fuit, cum ſitulâ, aut vaſe aliquando finxerunt: itaque ſi qui fons eſſet, qui culta præter flueret, nec omnibus propter aquarum inopiam ſufficeret; ita locari vicinis mos erat; ut alius alio diei tempore aquas ex eo rivo deduceret: *vide Frontin. de Aquæduct. c. 9. Ego*, inquit *Cicero*, *Tuſculanis pro aquâ Crabrâ vectigal. pendo*. Irrigabantur autem non hortiſolùm, ſed pomaria etiam, & prata; placuiſſe enim ſibi magnopere ſcribit *Horatius*, *Tibure* cùm eſſet, *uda mobilibus pomaria rivis*; & *Cicero ad Q. Fratrem l. 3. ep.* 1. de villâ, quam ei emerat in agro *Arpinati*; *Ego locum æſtate umbroſiorem vidi numquam, permultis locis aquam profluentem, & eam uberem. Quid quæris? Jugera L. prati Cæſius irrigaturum facilè te arbitrabatur*.



Greg. Guglie. del. — .Erea F II — Nicol. Mogali f.

TABULA XII.



AD *Palladem* revertimur, quæ cum belli, pacifque artibus præeffet, ut Veteres opinabantur, mirum non eft, fi tot eam fignis ornandam cenfuerunt. Quoniam verò militaris ars aliquid habet aut re ipsâ, aut ad fpeciem, quod præftet civilibus inftitutis; idcircò armatam plerumque exhiberi nobis hanc Deam animadvertimus, ut & in hoc Signo, in quo præter haftam, quam tenet, galeâ (1) tegitur, & lorica (2); tam gravi prætereà vultu eft, & oculorum conjectu, ut *Martem* potius fpirare, quàm de pacis muneribus cogitare videatur.

(1) Proprium *Palladis*, & familiare capitis integumentum galea eft; hac tamen in Dearum judicio caret apud nos *Tom. I. Tab. XVII.*; juffa enim a *Venere* fuerat eam deponere; ne *Paris* perterrefieret. Alterum exemplum habemus ex *Fabretto lib. 6. Infcript.*; fculptam enim in arâ *Palladem* refert fine galeâ, fed crinibus fupra caput in nodum collectis eo ferè modo, quo cælata eft in paterâ hujus noftri operis *Tom. I. Tab. XVI.*, ubi unà cum *Junone*, *Mercurio*, & *Apollini* adeft de lyra certantibus. Raro tamen id occurrit, & præter morem. Jam verò galeam a *Lacedæmoniis* inventam fcribit *Plinius l. 7. c. 56.* Contra *Herodotus in Melpom.* docet *Græcos* hanc, & fcutum accepiffe ab *Ægyptiis*; ita enim apud eos armatam antiquitus *Palladem* defcribit *Plutarchus To. I. pag.* 205. Quàm varius autem ornatus, & multiplex additus galeæ deinde fit; facilè animadvertet, qui in nummos, quos *Goltzius*, & alii ediderunt, aut in ftatuas *Minervæ* curiofius infpexerit; equinis enim jubis etiam tribus aliquando confpicua eft, ut apud nos in æreâ hujus Dæe protomâ; duabus aliquando pinnis non modicè a capite extantibus, quod *Etrufcorum* proprium fuit; ut patet ex *Dempftero Tom. I. pag.* 78., & ex *Vafe Etrufco*, in quo pictam *Caffandræ Ajacem* fugientis, & *Palladis* ftatuam complexæ hiftoriam præclarè nuper illuftravit *P. Remondini Congreg. Somafch.* Nec Sphynges defunt, Gryphes, Tritones, Delphinique, Noctuæ quoque, Corollæ, Bigæ, Quadrigæque, & alia non pauca, quæ libens prætereo, galeis vel appofita, vel infculpta. Sed notanda præcipuè funt capita *Platonis*, & *Socratis* in unâ ex his galeis apud *Montfaucon. Tom. I. & IV.*, & in alterâ ex nummo *Thyatirorum* ibidem allato *Vulcanus* ftans ante *Palladem*, & galeam eidem procudens. Hæc, præcipuè verò criftæ, quæ ex *Palladis* caffide in Regum, & Heroum galeas tranfierunt, non ad ornatum dumtaxat, fed ad metum quoque iniiciendum inventa crediderim. Apud *Lucianum in Dear. judic. Cur non*, inquit *Venus*, *& tu o Minerva galeâ depofitâ fpectandam te præbes, fed concutis conum, & perterres judicem?* Idcircò galeæ loco ab aliquibus leonum rictus, & ferarum adhibiti.

(2) Breviori ex duabus tunicis, utrâque fine manicis, quibus hoc Signum obtegitur, fuperinducta lorica eft opere fquamato unà cum *Medufæ* capite, fed fine ferpentibus. *Ægidem* hanc appellari, cum adhiberetur a *Pallade*, alio loco diximus. Loricam a *Midia Meffenio* inventam refert *Plinius l. 7. c. 56.* Aliquid hic fortaffe loricis, quæ tum erant, addidit; aut aliquod ex tam multis earum generibus excogitavit. Ceterum naturæ ductu moti femper homines funt, ut caput, & pectus contrà hoftilem vim quoquo modo protegerent; itaque iftis inventoribus, qui celebrantur a *Plinio*; non multum tribuo. Lineas apud *Græcos* olim ufurpatas colligi videtur ex *Paufania in Attic.*, quas tamen aptiores venationi, quàm bello ait fuiffe. Scribit autem ex his cùm alibi, tùm in *Apollinis Grynei* templo dicatas fuâ ætate fuperfuiffe non paucas. Hunc morem innuit etiam *Herodotus*; thoracem enim ab *Amafi Ægypti* Rege miffum ait *Lindum* in honorem *Minervæ*: *in Euter*: aliam item lineam, fed verficolorem, & figuris diftinctam *Sutrium* in Atticâ. Ingeniofior, & ad belli ufus multò accommodatior *Sarmatarum* lorica fuit. Hi, cum ferro carerent, equorum ungulas fquamarum in morem exectas ramorum filamentis ita confuebant inter fe, ut hoc adjumento protecti omni ope validius vitam tuerentur. *Paufan.*



Geo Giusti del — *Ærea T·II·* — *Ant Zaballi sc.*

TABULA XIII.



Onſtrum prodit hoc loco non ab Oceano advectum, ſed a domeſtico aliquo priorum temporum horto, quod licet ad terrorem compoſitum ſit hianti rictu, & dorſo ſpinis horrenti, tamen delectare nos poſſit; quid enim homini non agreſti jucundius, quàm fontem intueri, in quo aut nova aquarum defluentium ratio animum capiat, aut hæ inde potiſſimùm eliciantur; unde minimè putaremus? Atqui [1] fonti olim ſubſervit minax hoc animal [2], & immane, quod erumpen-

(1) *Fontium* nomine aquarum ſcaturigines nuncupatæ olim ſunt, ſeu ultrò ſtagnarent, ſeu temerè dilaberentur. Hujuſmodi ſcatebra fuit, de quâ *Plinius l.* 2. *c.* 103. *In Trogloditis fons Solis appellatur, dulcis, & circa meridiem maximè gelidus; mox paulatim tepeſcens ad noctis media fervore, & amaritudine infeſtatur*. Certo deinde alveo concludi aquæ ceptæ ad amœnitatem, & piſcium cuſtodiam, præſertim in ſuburbanis lautorum hominum. Hæ *piſcinæ* dictæ, in quas aqua aliunde deducta, ubi ſcatebræ copia non eſſet, per fiſtulas, & ſiphunculos demittebatur. Ita *Plinius* ad *Apollinarem* de piſcinâ, ſeu fonte; nam hoc quoque nomine piſcinas cenſeri deinde mos fuit: *In hoc fonte*, inquit, *crater; circa ſiphunculi plures miſcent jucundiſſimum murmur*. Ex hoc genere lacus etiam fuerunt, quò aquatum ibant, qui erant e vulgo. *Vide Lambin. ad ſat.* 4. *Horat. l.* 1. Jam verò ſiphonum, ſeu fiſtularum capita, & quæ ab his aquæ defluerent, vocata ab antiquis *Salientes* invenio. *Cic.* 3. *ad. Q. Fratr. Equidem hoc, quod melius intelligo, affirmo, mirâ ſuavitate te villam habiturum piſcinâ, & ſalientibus additis*. Utrum autem e fiſtulis aquæ in altum quoque olim profilirent, vel ab occultis ſiphunculis, tamquam ex inſidiis, ſpectantes adorirentur; compertum non eſt: ſuſpicor tamen Veteres harum deliciarum, quibus recentiores maximè delectantur, expertes non fuiſſe. *Plinius l.* 2. *c.* 65. ait; de aquâ in ſummis jugis erumpente; *Spiritu acta, & terræ pondere expreſſa Siphonum modo emicat*. *Emicare*, hoc loco idem videtur eſſe, ac aſſurgere; loquitur enim de aquâ aeris pondere ſuperincumbentis compreſſâ, & per terræ meatus, tamquam per ſiphones, elicitâ in ſummis montium verticibus. Scimus autem aquam e ſiphonibus rectis vi aliquâ expreſſam in altum attolli. Hæc Veteres non ignorabant; præſertim cùm tam frequens apud eos in piſcinis, maximè verò in Nymphæis, ſiphonum uſus eſſet, & fiſtularum; ut dum hæ variè diſponuntur, & loco moventur, caſu ipſo de hoc aquarum ingenio tantumdem aſſurgentium, quantum antea deſcenderant, erudiri potuerint. Itaque *Cl. Polenius in Notis ad Frontin. de aquæduct.* ſalientes dici putat, *propterea quòd aquam in altum attollunt*. *Bergerius* verò *de viis militar. l.* 1. *ſect.* 8. agens de *Lymphis*, quæ idem *Salmaſio* ſunt, ac *Nymphæ*: *Lymphæa*, inquit, *opera publica erant ſimilia noſtris cryptis artificioſis; qualia in hortis Magnatum hodie videntur; ita dicta a lymphis, quæ per diverſos tubulos, cavernaſque occultas undique cum impetu improviſo proſiliunt in otioſos ſpectatores*. Ego verò, quoniam Veterum teſtimonio niti non poſſum, in re tam dubiâ nihil auſim aſſerere; vetus enim illud eſt, & pervulgatum, quædam eſſe ex eo genere; ut inventa cum ſint, a quovis videantur reperiri potuiſſe; non inventa autem, vix a quoquam reperiantur. In ſigillis æreis, quibus lateres crudos ſignare conſueverant, ſi typos, ſeu characteres non unà cum lamellâ, cui inhærent, conflatos, ſed exemptiles eſſe *Romani* voluiſſent, & pro re natâ collocandos, non tamdiù literæ typographiâ caruiſſent.

(2) Illud affirmari certiùs poteſt, aquam olim in piſcinis, & fontibus, cum ad horum ornatum, tum ad majorem ſpectantium voluptatem non ſimplici ſemper modo, ſed per fiſtulas ſæpe e Silvanorum, aut animalium corporibus trajectas emiſſam variè fuiſſe: id factum videmus & a monſtri, de quo agimus, Artifice, & a *Bernino Romæ*, præſertim in *Foro Agonali*. Quamquam, quid præterea de hoc monſtro cogitandum nobis ſit, docemur ab eximio, clariſſimoque viro *Bonarotio*, qui ad calcem operis *Dempſteriani*, *Etruſcos*, ait, piorum ſedes poſt mortem non ſub terram,

pentes e pectore aquas veli inſtar explicitas in ſubjectum craterem ad oculos eblandiendos defunderet: miteſcit autem feritas omnis; nec ſine voluptate horror eſt; cùm periculo caret.

terram, ut *Græci*, *Latinique* ſenſerunt, ſed in ultimo Oceano ſtatuiſſe: idcircò in urnis allatis a *Dempſtero* ſub finem *lib.* 1. 2. & 5. marinos equos, & monſtra in piſcem deſinentia ſpectari non ſine Rectoribus, quorum ductu inſidentes monſtris animæ ad optatum litus appellerent. Suffragatur huic ſententiæ doctiſſimus vir *Jo: Bapt. Paſſeri*, quem mihi gratulor, utpote hominem egregium, de facie noviſſe, *Piſauri* cum eſſem, ejuſque colloquio frui non ſemel potuiſſe. Hic rem totam pluribus explicat in ſuo de Lucernis opere *Tom.* 3. *Tab.* 53., ubi monſtrum caprinâ ſupernè formâ, infernè verò piſcis inſtar tortuoſi, quod per maris undas velociter deſilit, Genio, a quo regitur, inſidente, eorum numero accenſet, quæ animas ad beatorum inſulas putabantur advehere. Tantis igitur auctoribus, cur noſtrum hunc marinum Equum, cujus decurrentis cervicem Genius complectitur frondibus, & corollis redimitus, non in eodem numero eſſe dixerim; ut & præſenti voluptate, qui fontem inſpicerent, & ſperatâ poſt mortem, cum paratum vectorem jam cernerent, felicitate lætarentur?

pag. 50



Greg. Giusti del. Ærea T II. *Ioan Ottaviani sc.*

TABULA XIV.



On mediocre antiquæ ſimplicitatis, & parſimoniæ indicium in hoc Signo mihi videor agnoſcere, quod amictum ita eſt; ut parùm a nudo differat. Ac priſcis quidem temporibus, cum hominum veſtitus pelles eſſe conſueverant pecudibus, aut feris detractæ (1), ſi hæ non omninò congruerent, nec corpus penitus tegerent; neceſſitatis id fuit; textrinâ verò inventâ voluntatis, præſertim in hominibus, cujuſmodi hic fuit, de quo agimus, ut infra

(1) Pallium ſuſpicor eſſe potius, quàm togam, quâ Icon hæc tegitur. Fuit hæc quidem priſcis temporibus adſtrictior, & brevior; ſed non ita adhibitam novimus, ut infra brachium dexterum, & femur nudum intercurreret ad lævum humerum; quâ formâ præter hoc Signum Palliati quidam ſunt in *Etruſcorum* monumentis. Quòd tunicâ eadem Icon careat; id quoque priſci moris fuit; *Romani* enim ſolâ togâ amicti fuerunt antiquitùs; ut habemus ex *Gellio*, qui ſtatuas *Romuli* in *Capitolio*, & *Camilli* in *Roſtris* ait fuiſſe ſine tunicâ. Idem factitatum ab *Etruſcis* diſcimus, ut notat *Bonarotius*, ex æreo ſimulacro, quod affert *Dempſterus* in *Etrur. Regal. Tom. I. pag.* 287. Excogitata deinde exomis eſt, ſeu tunica brevior, & citrà humeros; tum hæc quoque producta infrà genua, manicæque additæ, quibus tamen prolixis uti, probroſum *Romanis* fuit; poſtremò alia quædam interior inventa, quæ huic ſubeſſet, dictaque intuſium eſt; quòd ad cutem adhiberetur.

Venio ad Epigraphen, quâ læva Signi coxendix inſcripta eſt. Hanc ex mendoſo, quod acceperat exemplo, ita refert *Bonarotius in append. ad Dempſter.* §. 43. *C. Pomponio Virio I.* De ſenſu nihil dicit, qui ex eâ, prout eſt, elici idoneus non poteſt; tantùm ait, literas, quibus ea conſtat, Latinas eſſe; ac proinde Signum quoque, quod ab eodem deſcribitur, quemadmodum eſt in hac Tab., *Romanis* adjudicadum videri. Movet me tanti viri auctoritas, ut ita ſentiendum putem; ſcrupulum tamen mihi non levem injicit pallium *Romanis* inſolens, *Etruſcis* uſitatum; nec minorem ipſa etiam epigraphe; etſi enim, ut hoc loco monet hic auctor, aliæ quoque nationes Signa nonnumquam inſcripſerint, ut *Seſoſtris* ſtatuam *Ægyptii*, quam in *Joniâ* fuiſſe teſtatur *Herodotus* hac epigraphe: *Hanc ego regionem meis obtinui humeris*; & duo Athletarum Signa *Græci*, quæ refert *Montfauconius Tom. 3. par. 3. pag.* 264.; tamen & ab his raró factum id eſt, ſi cum *Etruſcis* conferantur, quibus uſitatiſſimum id fuit, & a *Latinis* vix umquam, ſi *Virii* Signum excipimus, & quod inter ſuas inſcriptiones edidit *Ingolſtadii Petrus Appenninus* (ex *Montfaucon.* ibid.) femore ita Latinè inſcripto: *A. Poblicius D. L. Antioch. & Barbius P. L. Tiber.* Verùm in hac noſtrâ epigraphe, cum quiddam ſit, quod ad *Etruſcam* literarum formam accedit; quod ipſum animadvertimus in duplici inſcriptione *Tab.* 2. *&* 3. *Tom. I.* hujus operis; fieri enim non poteſt, ut ab uno idiomate tranſitus fiat ad aliud; quin aliquid de veteri retineatur; cum palliatus præterea *Pomponius* ſit, & *Conſul* utique *Municipalis*, ut infra videbimus; facilè componi rem poſſe arbitror; ſi dixerimus cum *Bonarotio*, *Latinam* quidem epigraphem eſſe, ſed manum *Etruſcam* origine; Signum quoque *Romanum* videri, ſed in eâ *Etruriæ* jam domitæ parte conflatum, in quâ jure Municipii, quod a *Romanis* acceperat, ſuis legibus uſâ nondum *Etruſci* mores, & inſtituta exoleviſſent.

Hoc idem Signum, & epigraphem retulit *Montfaucon.* loco ſuperius citato *Tab.* 157. Ex *Muſeo Card. Gualterii* Signum hoc ait fuiſſe; in quo conſentit cum *Bonarotio*, qui id ipſum fatetur; ſed deceptus ipſe quoque ab eo eſt, qui Signum unà cum epigraphe tam oſcitanter deſcripſit; vittâ enim redimitum, & comis capiti ſuper inductis nobis oſtenditur; cum re verà capite nudo ſit, capilloque brevi, & paſſo. Dextero pede calceatum ait eſſe, lævo nudum: at nudus uterque pes eſt; dexteri tantùm pedis extriti digiti; quod notat *Bonarotius*; & re ipsâ ita eſt; ut quin idem Signum ſit, quod protulimus in hac *Tab.*, & quod Scriptores hi referunt, dubitari non poſſit. Quod verò Athletæ Signum putet hoc eſſe, id epigraphes perperam exſcriptæ vitio, non ſcriptoris tribuendum cenſeo, qui in eâ titulum *Conſulis* legere non potuit: ita autem omiſſo prænomine, familiæ nomine corrupto, additâque nullius ſignificationis ſyllabâ *po.* eamdem

fra dicemus, quibus opes, prout ea ferebant tempora, deeſſe non poterant. Sed luxu paulatim invecto, cùm ex veſtitu, cultuque corporis internoſci ſe homines vellent, & quo loco, quâve fortunâ eſſent, oſtendere; nullus nec modus, nec finis in ornatu, veſtiumque generibus excogitandis factus eſt; cùm tamen jam tum conſtaret, paucis contentam eſſe naturam; de quo & ratio ipſa nos monet, & priſca ſæcula docuerunt.

dem edidit: *Pepono Virio po.* Hæc adnotanda cenſui, non ut aliquid e tanti viri, & de literariâ Republicâ optimè meriti laudibus detraherem; ſed ut oſtenderem; quàm facilè ſummi etiam homines in fraudem inducantur ab alienis ſchedis, & rerum deſcriptionibus, quas ipſi non viderint; ſimulque ut innuerem; quàm periculoſum ſit interpretari ea velle, quæ in editis etiam libris incerta ſunt, & obſcura; cum ſæpe accidat, ut multa dicantur, quæ abhorrent a monumentorum archetypis, ac proinde oleum, ut ajunt, amittatur, & opera.

Reliquum eſt, ut de genuinâ epigraphe dicam, quæ tamen cuilibet legenda proſtat in hoc Signo. Hæc ejuſmodi eſt. *C. Pomponio Virio COS.* Tria hoc loco habemus ejuſdem viri nomina *Romano* more, & titulum præterea *Conſulis*. Hic magiſtratus *Romæ* geſtus a *C. Pomponio* non eſt; nec enim reperitur in *Faſtis*; in aliquo igitur Municipio; non enim novum eſt in ſcriptis lapidibus, aliquem aliquando Conſulem legi, qui *Romanus* non ſit. In hac inſcriptione apud *Fabrettum pag.* 723. mentio ſit *L. Turci Conſulis*, qui in *Faſtis* non eſt.

ÆMILIÆ
C. FILIÆ CALLISTÆ
CONJUGI
L. TURCI FESASI
APONIANI COS.
AUFIDENSES D. D.

Aufidena urbs *Samnii* fuit. Sive igitur hæc civitas, ut *Romam* æmularetur, id juris ſibi arrogaverit, ut Conſulem crearet; ſive *L. Turcius* e *Duumviro*, qui ibi eſſe potuit, in hoc nomen ambitionis cauſâ, aut gratiâ apud ſuos invaſerit, certè ab *Aufidenatibus Conſul* appellatur; quemadmodum etiam *Auſonius Burdigalæ* ſe *Conſulem* vocat Epigr. 31. *Diligo Burdigalam; Romam colo; Civis in hac ſum; Conſul in ambabus.* Hunc *Reyneſius*, qui acerrimè ſententiæ huic adverſatur, poeticè potius locutum cenſet, quàm propriè *ep.* 31. *&* 28. *ad Rupert.*: *De Coſs. Municipalibus*, inquit, *non poſſum amplius dubitare, ab ignaris Antiquitatum Romanarum nobis fabricatos fuiſſe; quamquam & Scipio Gentilis noſter* 2. *de Juriſdictione* 5. *e Caſauboni notis ad Apoll. Apulos conetur obtrudere.* Sed pluris faciendum arbitror *Fabretti* judicium viri ſcientiſſimi, qui in hac controverſiâ ita decernit contrâ *Reyneſium*: *At prævalet Emi Noriſii auctoritas hoc lapide fulta* (id eſt *Aufidenatium*), *alioque, quem nuper Piſis erutum oſtendit in Cænotaph. Piſan. pag.* 41. Alter autem hic lapis ejuſmodi eſt.

D. M.
FELIX HERCULEO
EQ. P. ÆDIL. II. COS. I.
PONT. PERPET.
REIP. PISANÆ.

Huic ſententiæ epigraphem etiam hanc noſtram aliquod pondus addituram arbitror.



Greg. Giusta del. *Ærea T. II.* Franc. Barbazza sc.

TABULA XV.



Micitiam, & Diſcordiam, quibus inter ſe elementorum particulæ vel coeunt, vel dirimuntur, duo eſſe rerum principia ſenſit *Empedocles*: rectène, an ſecus, quærere non eſt hujus loci; opinor tamen de politicis rationibus commodiùs id dici, quàm de phyſicis poſſe; cùm duabus ab his cauſis hominum vita, & populorum ſtatus pendere videatur; etſi enim quies inter eos, & pax non rarò coaleſcat; tamen, cum tanta ſit in hominibus voluntatum, & conſiliorum varietas; fieri non poteſt, quin ſæpe diſſociatis invicem animis lites oriantur, & pugnæ, quæ privatas res, & publicas everterent; niſi ex illâ concertatione, præſertim cùm ferro decernitur, victoria (1) exiſteret, quæ

(1) Habes in hoc Signo perelegantem *Victoriæ* imaginem crinibus ſcitè pexis, & ſupra frontem aggeſtis mitræ inſtar, quos medius cingit lauri, aut oleæ ramus; non enim, cujuſmodi ſit, internoſci ſatis poteſt artificis vitio potius, quàm temporis. Sed notanda præcipuè monilis forma, quæ inſolens prorſus eſt, aut potius nova; è circulo enim, quod collum ambit, lamella quædam protenditur, & circumducitur minutis ad oram inciſuris ſerræ in morem aſpera, & interſecta. Id genus monilis in *Latinorum* monumentis, quod ſciam, nullum eſt. Simile tamen quiddam occurrit in *Muſei Etruſci Tabulis* 9. 27. 102., in quibus e *Voltumnæ*, *Junonis*, & *Averrunci* collo, nam ita ea Signa vocat *Gorius*, monile radiatum pendet; ut aliqua proinde ſuſpicio injecta mihi ſit, Signum hoc quoque noſtrum *Etruſci* operis eſſe; præſertim cum veſtis, quæ medio corpori ad talos advolvitur, plicis invicem ſubnaſcentibus, ad ejus gentis artificium propius accedat; ſed in hoc non contendo, ne videar & ipſe plus, quàm ſatis eſt, *Etruſcis* tribuere; licet nonnihil ponderis conjecturæ huic afferat etiam armilla, quæ ſuprà cubitum Signi hujus eſt: *Græcis* enim mos fuit, *Venerem* ſolam, ut plurimùm, *Etruſcis* verò Deorum, Dearumque fermè omnium ſimulacra armillis ornare, atque etiam duplicibus majoris cultus gratiâ.

A Diis, & mulieribus, nam hæ quoque armillis uſæ ſunt, tranſiit hic ornatus ad milites, quorum qui virtute præſtitiſſent, eo donari, aliiſque honoris inſignibus ab Imperatoribus conſueverunt: quæ iſta fuerint, omnia fermè continentur hac noſtrâ epigraphe, quæ in marmorei cippi ad *S. Cæſarium* aliquot ab hinc annis effoſſi lateribus inſcripta fuerat eodem exemplo.

M. BLOSSIO
Q. FANI. * PUDENTI.
ↄ. LEG. V. MACEDONIC.
DONIS MILITARIBUS.
DONATO. AB.
IMP. VESPASIANO. AUG.
TORQUIB. ARMILLIS.
PHALER. CORONA. AUREA.
VIXIT AN. XLIX. SANCTISSIME.
ET. PROPEDIEM.
CONSUMMATIONIS
PRIMIPILI. SUI. DEBITUM.
NATURÆ. PERSOLVIT.
M. BLOSSIUS. OLYMPICUS.
PATRONO. SUO. OPTUMO.
FECIT. ITEM. SIBI. ET. LIBERTIS.
ET. LIBERTABUS. SUIS. POSTERISQUE.
EORUM.
LONG. P. XXX. LAT. P. XVII.

* Q. F. ANIENSI. *i. e.* TRIBV.

Alas *Victoriæ* primus addidit *Thaſius Aglaophon*. *My-*

quæ fractis alterutrius partis viribus, utramque demum ad priſtinam tranquillitatem revocaret. Itaque nemo umquam fuit, qui aliquo intercedente diſſidio, aut ſuſceptis inimicitiis vota non fecerit *Victoriæ* ſuæ, eamque tamquam malorum expultricem non coluerit, & omnium commoditatum adminiſtram. Hinc illa *Victoriæ* ſimulacra publicè *Romæ* propoſita, nummique illius imagine obſignati, ut ante omnium oculos obverſaretur; hinc ædes, & aræ, ubi eidem litarent; crebræque ad Deorum pulvinaria ſupplicationes, triumphique; ut, quantum boni accepiſſent partâ *Victoriâ*, totius urbis lætitiâ teſtarentur, & plauſu.

thol. N. Com. Aureas eidem tribuit *Ariſtophanes in Avibus* : *ſtatim Victoria volat alis aureis*. Hæ celeritatis indicium, & divinitatis fuerunt. Ut autem antiquitus qui oppidum obſidebant aliquod, evocare inde certo ritu Deos Tutelares ſolebant, nè præſidio illis eſſent; obſeſſis verò eoſdem, nè abirent, vincire catenis mos erat, aut compedibus; ita *Athenienſes Victoriæ*, ne ab ipſis diſcederet, pennas ademerunt. Utrumque teſtatur *Pauſanias in Laconic.*: *Signum eſt* (in Templo *Hyppoſtenis*) *Enyalii in compedibus. Putant autem Lacedæmonii Martem a ſe ita vinctum numquam diſceſſurum; quemadmodum Athenienſes ſecum manſuram ſemper Victoriam, quæ pinnis careat*. Idem *in Eliac. pior. Adſiſtit Minervæ Victoria; Calamis feciſſe dicitur; alas verò non addidiſſe exemplar ſecutus Signi ejus, quod Athenis eſt, & involucre nuncupatur*. Contra noſter hic artifex, ut ſtabilem *Victoriam* adpromitteret, columellæ innixam oſtentat. Fulcrum quidem hujuſmodi, & alicujus eidem incumbentis, ſive Deus ſit, & Heros, ſive ex iis quidpiam, quæ per ſiymbola, fictaſque perſonas oculis ſubjiciuntur, frequenter occurrit in aversâ nummorum parte, ſcalptiſque gemmis; quod totum etſi referri aliquando poſſit ad operis elegantiam quæſitam ab artifice; nec enim puto, in omnibus, quæ veterum temporum ſunt, reconditum aliquem ſenſum, & arcanum quæri oportere; tamen non dubito, quin columna imperium, aut alicujus commodi ſtabilitatem, & ad eam tuendam illius, qui eidem innititur, præſidium ſignificet. Auctor mihi *Horatius* eſt *Od.* 35. *l.* 1., ubi *Fortunam* allocutus, *Te*, inquit, *purpurei metuunt Tyranni, injurioſo nè pede proruas ſtantem columnam; neu populus frequens ad arma ceſſantes ad arma concitet, imperiumque frangat*.

Quid hoc Signum dextrâ prætulerit, ex eo, quod ſupereſt, veſtigio certò ſciri non poteſt; coronam tamen opinor, aut palmam; utrumque enim inſigne *Victoriæ* fuit; ſed frequentiùs ab eâ video coronam haberi præ manibus, cujus tradendæ, ut non eadem opportunitas erat, & inſtitutum in re militari, aut in ludorum certaminibus, ita varia ea quoque fuit genere, & multiplex, Quamquam, quiſnam putaſſet poma etiam, & oleum præmia *Victoriæ* fuiſſe? Atqui, ut ait *Lucian. de Gymnaſ.*; *in Pythiis Ludis poma proponere Sacerdotes Apollinis conſueverant; ut Athenienſes oleum de olivâ*.



Grea angh del — *Ercu T.II.* — *Ignat Benedetti sc.*

TABULA XVI.



Ladiatorem (1) hunc esse potius, quàm Pugilem ex eo conjicio; quòd nec Pugilum more contractæ in pugnum manus sunt, & in utrâque reliquum quiddam e gladii capulo mihi videor agnoscere. Movet præterea, ut ita putem, cum status Adolescentis, tum oculorum conjectus, quorum uterque ejusmodi est, ut quod de *Entello Virgilius* ait 5. *Æneid. Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit;* & *Cicero* de se ipso in *Catil. Quot ego tuas petitiones, ita conjectas, ut vitari nullo modo*

(1) Quòd *Defunctorum animæ humano sanguine propitiari creditum olim fuit*, ut ait *Tertullianus*, mactari in eorum funeribus servi, aut Captivi consueverant. Ita *Patroclo Achilles* apud *Homerum Trojanos* duodecim, *Pallanti Æneas* apud *Virg.* octo *Turni* milites immolat. *Postea*, subdit idem auctor, *placuit impietatem voluptate adumbrare; itaque quos paraverant, armis, quibus tunc, & quantum poterant, eruditos edicto inferiarum die apud tumulos erogabant*. Utrumque usurpatum agnoscimus in sepulcralibus *Etruscorum* urnis; nam & inermes necari ibi cernimus, & pugnantes mutuis vulneribus confici. Hoc Gladiatoriæ pugnæ rudimentum *Romani* ab *Etruscis* acceptum adeo excoluerunt, ut, ludis institutis, ubi pugnaturi exercerentur, designatisque Lanistis, & Curatoribus, palàm ostenderent novo sibi opus esse militiæ genere, quo post auctum imperium voluptatis quoque proferri fines possent; itaque *S. Ciprianus*, quid hi spectarent, clariùs aperiens, *Homo*, inquit, *in hominis voluptatem perimitur, &, ut quis possit occidere, peritia est, usus est, ars est*. Rectiùs *Græci*, qui ab hoc scelere abstinuerunt; etsi enim *Hermippus* apud *Athenæum Monomachiæ* repertores *Mantinenses* tradat fuisse, & *Statius l. 9.* inter ludos *Argolicos* Gladiatorium recensere videatur; tamen, sicubi in *Græciâ* ita factum id sit, serò contigit, cum latè grassaretur hæc lues, & vulgò a Provinciarum rectoribus hi ludi ederentur. Ceterum *Solon* apud *Lucian. de Gymn.*; *Ut*, inquit, *mutuis se vulneribus conficientes spectemus! Apage. Ferinum id esset, & omninò crudele; ad hæc non minus damnosum, & inutile, mactare juvenes præstantissimos, quorum operâ adversus hostes uti queamus*. At crudele hoc, & damnosum *Romani* pro nihilo putaverunt; nam, licet primò Servi dumtaxat, & bello capti in arenam descenderent, tamen Liberis quoque, qui *Auctorati* dicebantur, quòd se lanistis vendidissent, ea patuit; Liberis dico, & ingenuis? *Aspice*, ait *Seneca*, *illos juvenes, quos e nobilissimis domibus luxuria in arenam conjecit*. Eò enim confugiebant vel bonis exuti, vel pugnæ studio, vel ut a Principibus gratiam inirent. Unâ ludorum commissione *Caligula* Principe Equites *Romani* sex, & viginti prodierunt in hoc stadium; *Nerone* imperante Equites sexageni, Senatores quadraginta. *Svet. Lypsius Saturn. l. 2. c. 3.* Num saltem Fœminis, ut id auderent, defuit animus, seu potius impudentia? Non defuit *Taciti* testimonio *l. 15. Dionys. Statii in Silvis*. His tandem arenâ interdixit *Severus*, illis *Vitellius Augg.*

Status igitur Gladiatoribus locus ad pugnam Rogus fuit; nec ita multò post etiam Triclinia; in cænâ enim funebri, quæ inferias sequebatur, nihil visum *Romanis* tam sapere, quàm anteactæ pugnæ memoria; eam itaque epularum additamentum esse voluerunt. *Strabo l. 5. Eò*, inquit, *luxus provecti sunt, ut convivas vocarent ad paria Gladiatorum, quorum numerum augebant, minuebantque pro dignitate convivii*; scilicet ne *Lapitharum* cænæ desiderarentur apud *Italos*. Verùm erupit tandem in publicum hæc immanitas, & Rogo omisso Fora occupavit; cum dari Gladiatores cepissent in Plebejorum etiam, & Fæminarum inferiis. Primum, in quo pugnatum ita est; *Boarium* fuit anno *Urbis* 490., cum *Marcus*, & *Decimus Bruti* patris parentarent cineribus. Successit deinde *Forum Romanum*, tum Amphiteatra; postremò Circus, & Septa: religione enim Deorum Manium posthabita, *transierunt*, ut ait *Tertullianus*, *Gladiatorum editiones ab honore mortuorum ad honores vivorum*. Nihil itaque *Romæ* frequentius his ludis, quos ad popularem auram

modo possent, parvâ quadam declinatione, &, ut ajunt, corpore effugi? Quod, inquam, hi referunt de ratione petendi, declinandique adversarii, ad id comparatus is etiam videatur ante pugnam hoc loco, cum se populo tantùm ostentat. Quoniam verò plura olim fuerunt Gladiatorum genera, ex eo numero hunc esse arbitror, qui duobus gladiis pugnabant, aut gladio, & pugione, & quos *Lipsius Saturnal. l.* 2. *c.* 13. *Dimachærus* appellat.

ram captandam Magistratus, & Principes edebant; quo autem concursu, audi *Ciceronem pro Sext. Equidem existimo nullum tempus esse frequentioris populi, quàm illud Gladiatorium, neque Concionis ullius, neque ullorum Comitiorum*; quâ verò hominum strage, disces ex *Lipsio Saturn.* 1. *c.* 12. *Mentior*, inquit, *si non aliquis mensis Europæ stetit vicenis hominum millibus, aut tricenis*. Hem, quanti empta popularis voluptas! Quanti a Gladiatoribus palma, & nummulorum aliquid; quæ duo fuerunt præmia Victorum. Etsi *rude* quoque post triennium donari a populo possent; qui verò servi essent, *pileo* post quinquennium: illam vacatio a pugnâ, hunc libertas sequebatur. *Vlpianus ex Pythæo*. Vetuit tandem hoc pugnæ genus *Constantinus M.*, at *Honorius Aug.* penitus sustulit.

Superest; ut quæramus hoc loco, nudinè Gladiatores pugnarent? cujusmodi Signum hoc est, de quo loquimur. Propè locum, ubi ludus edebatur, *Spoliarium* fuit. Eò cæsi in pugnâ, sauciique asportabantur, tamquam feralia arenæ spolia. Hæc vox idem quoque significat, ac *Apodyterium*, seu cellulas in balneis, ubi lavaturi nudabantur; conjici proinde ex hac voce potest, Gladiatores etiam vestibus in *Spoliario* positis in arenam descendisse. Sed ne conjecturæ huic fidam, Scriptorum hac de re silentium facit. Asserit id quidem de *Meridianis Seneca ep.* 7. *Nihil habent, quo tegantur, ad ictum totis corporibus expositi*; & *ep.* 95. *Nudus, inermisque producitur; satisque spectaculi in homine mors est*. Inermem intellige sine galeâ, & scuto; etsi enim hi essent Gladiatorum postremi, & de Bestiariorum potius numero, qui mane certassent cum belluis; quo pacto pugnassent inter se post meridiem, si gladio caruissent? At in hanc turbam non arbitror rejici *Commodum* quoque *Augustum* posse, qui Gladiatoriâ arte adeo delectaretur, ut detracto e Colosso Solis capite, suoque reposito inscripserit se in basi, *Mille Gladiatorum Victorem*. De eo tamen *Herodianus*; *Nudus ingressus in Amphiteatrum est, sumptisque armis numeros gladiatorios explebat*. Duo prætereà quantivis pretii Gladiatorum Signa *Romæ* sunt, alterum in *Villâ Burghesiana* ad *Montem Pincium* adversarium petentis, alterum in *Capitolio* animam impavidè agentis, utraque omninò nuda, nec sine gladio. Nuda item duo Gladiatorum paria sunt in Amphiteatro, quod in muri tectorio pictum servatur in hoc Museo. Jam verò, si Gladiatores hos genuinos, verosque arbitramur; non deerunt exempla, eos aliquando nudos pugnasse; sin Meridianos; non pudebit Gladiatorem hunc nostrum unà cum iisdem annumerari, præsertim cum *Commodo*.

Vitta, quæ capiti circumducitur, non potestatis dumtaxat, sed præstantiæ etiam alicujus indicium fuit; ob id vittatum *Homerum*, & *Platonem* cernimus, ut alios omittam. Utrum ita ornari Gladiatores solerent, aliique, quorum ars excelleret, quâ populus delectabatur, non facilè dixerim: statuis certè honestati non pauci ex hoc numero sunt. Quamquam, quæ Signi hujus caput velat, non vittam puto, sed fasciam; non enim vittarum more alligata capiti est; additam igitur arbitror, ut torquem illum Gladiatoris Capitolini collo; vel quòd hi notari ita vellent, dum viverent, vel ex artificis ingenio.



Greg. Giusti del. — Ærea T II — Ant. Zaballi sc.

TABULA XVII.



Uibus per loca iter eſt ſalebris aſpera, ii modò conſideratè incedant, & cautè, veniam merentur; ſi fallente veſtigio prolabantur aliquando. Hanc pari jure ſibi poſtulant ab æquis rerum æſtimatoribus, qui Veterum monumenta interpretanda ſuſcipiunt; non enim periculoſior illorum via eſt, quàm hæc ſit, in quâ tam incerti exitus ſunt propter ſententiarum varietatem, tanta vetuſti moris propter temporum longinquitatem ignoratio, tam frequens propter artificum libidinem, & arbitrium operum inſolentia; ut mirum ſit, quemquam eſſe, qui perſpectis laboribus, & offendiculis aut aggredi curriculum hunc velit, aut progredi in eo poſſit. Ne longè abeam; argumento ſit hujus *Tabulæ* Signum, quo quid aptius eſſe poteſt ad torquendum interpretantium ingenium? Concham (1) id erectam capite ſubſtinet ex earum genere, quas *Patellas* vocant. Oris forma fœminea eſt, & capillorum ornatus (2); at pectus (3), & ſexus virilis. Reliquum quod eſt corporis,

(1) Concham marinam in Paterâ apud *Dempſterum Tom. I. pag.* 278. ante dexterum *Veneris* pedem erectam mihi videor agnoſcere. Hac notâ quidam olim *Venerem* deſignabant; quòd in maris conchâ genitam, eâdemque delatam in *Cyprum* arbitrarentur; etſi *Homerus* in ejus hymno ſpumæ tantùm meminit, e quâ nata fuerat, & cui inſidens appulerat in eam inſulam. Sed in hujuſmodi rebus aliter alii ſentire potuerunt, & ſpumæ concham adjicere, ut tranſitum hunc & ad popularem captum, & ad ſpeciem facerent aptiorem. *Statius* certè, ſi hæc non invaluiſſet opinio, non dixiſſet de formosâ muliere ex perſonâ *Veneris*: *Hæc & cæruleis mecum conſurgere digna Fluctibus, & noſtra potuit conſidere conchâ.*

(2) Præterea, ne putem a *Venere* hoc Signum abludere, nummus facit æreus *Fauſtinæ* junioris apud *Rubenium*; in ejus aversâ parte *Venus* eſt *Marti* blandiens; idem autem utrobique capitis ornatus, comæ ſcilicet circa frontem, & tempora convolutæ, & ita in ſe ipſis collectæ, ut nodo adſtrictæ poſt caput ſint. Eadem fermè veſtitus ratio, quæ ſolam *Venerem* non dedeceat. Cum itaque epigraphe quoque accedat; *Veneri Victrici*; quid eſt, cur non hoc Signum *Venerem* eſſe dicam, & quidem ejuſdem cognominis?

(3) Sed longè majoris momenti, atque adeo difficultatis *Androgyna* forma eſt, quæ præfertur ab hoc Signo. Scio *Ethnicos* olim duplicem Diis naturam non gravatè tribuiſſe. *Lunam Orpheus in Hymn.* marem,

ris, veſtis quoque a tergo defluens ad pedes, & collecta inter crura fœminam refert. Alæ præterea humeris appoſitæ (4). Fateor hujuſmodi Signum alibi vidiſſe me numquam, de quo ſi quid minus e Lectoris ſententiâ conjecero; is de rebus obſcuriſſimis agi meminerit, & æqui, bonique conſulat, aliquos eſſe, qui labore ſuo nonnihil opis harum rerum ſtudioſis adoleſcentibus conentur afferre.

& fœminam vocat, *Minervam* quoque; marem item, & fœminam *Bacchum*. Quid de *Venere*; idemne ſenſerunt? Etiam planè. Teſtatur id ex *Græcorum* monumentis *Cælius Rhodiginus Tom. 3. l. 29. pag. 617.* Nam cum morbi vi, quem pruriginem vocant, capilli *Romanis* exciderent mulieribus; hæ verò graviter id ferrent; votis *Veneri* nuncupatis, illi iterum ſubcreverunt; quo nomine ſimulacrum eidem poſuerunt pectinem manu tenens, & præterea barbatum, propter duplicem naturam; *nam ut præſidem generationis omnis Deam venerabantur*; *ideoque ſuperiora corporis cingulo tenus maris præferebant effigiem*; *fœminæ verò inferiora*. Hæc *Cælius*; ex quo intelligi poteſt, quod ad pectinem attinet, *Romanum* inventum fuiſſe; quod verò ad *Androgynam Veneris* formam, ad ſuperiora *Græcorum* tempora eſſe teferendum; ea enim affertur figmenti hujus ratio, quæ multò prius invaluerat; quàm hæc calvitii calamitas matronis accidiſſet.

(4) Superſunt alæ, quæ negotium faceſſant. Verùm ſi tria hæc, quæ retulimus, *Venerem* eſſe hoc Signum oſtendunt; non video, cur ea in dubium revocare hæc alarum additio debeat. In hujuſmodi enim rebus non ita ratiocinari nos oportet, ut negemus factum unquam eſſe, quod nuſquam reperimus; quàm multa enim ſunt veteris memoriæ monumenta, quæ temporis injuriâ perierunt? Quid, ſi artifex e proprio ſenſu aliquid commentus eſt, ut concham Signi hujus capiti ſuperimpoſitam? Quid ſi in artefactis aliquid ex unius populi moribus retulit in ritus alterius? Quod novum non eſt. Sed hoc effugio, etſi jure poſſim, tamen non utar; quæram potius, *Etruſcumne* hoc Signum habendum ſit, an *Latinum*? Si *Etruſcum*; ſublata controverſia omnis eſt, pervulgatus enim maximè hic *Etruſcorum* mos fuit, ut alas Diis facilè adderent. Præter pennigeram Deorum, Dearumque turbam ſanè non modicam in paterâ apud *Dempſterum Tom. I. Tab. VI.*, *Minerva* deſcribitur magnis alis inſtructa; *Venus* apud *Gorium Tom. I. pag.* 40. alis capiti appoſitis, & tamquam petaſo *Mercurii* tecta; quo quid ſingi magis inſolens poteſt? Niſi forte ad indicandam hujus quoque in circumeundo celeritatem hoc uti Signo *Etruſci* voluerunt: ait enim de eâ *Euripides in Hyppolit. Coron*: *Frequentat Cælum*; *rurſus mare adit*; cui labori impares fuiſſent columbæ, vel paſſeres currui adjuncti. Ceterum in re manifeſtâ non diutius morabor. Adeat, qui plura velit *Etruſcorum* monumenta, quæ tam multa proſtant in editis libris. Sin idem hoc Signum cenſere *Latinum* quis malit; non deſunt apud *Romanos* exempla, quæ *Etruſci* hujus moris affinia videantur. Protome, ſeu *Romæ* ſit, ſeu *Minervæ*, eſt apud nos in nummo *Julii Cæſaris* aureo alis ab humero extantibus; quod ſi *Veneris* dici ea poſſet, a quâ ille originem ſe ducere gloriabatur, præſertim cum Iulii capitis loco Protome ea ſit, cum averſa epigraphe *Planc. Præf. Vrb.* rem factam haberemus; ſed id opinari non auſim. Sunt capita Dearum, quas modò innui, alata ſanè permulta in nummis, quos Conſulares appellant: quid igitur tam mirum, ſi *Venus* quoque alata occurrerit aliquando? Quamquam, ſi minus hæc placeant, illud certè dabitur in re tam obſcurâ, ut ſuſpicari poſſimus, Signum hoc ex eorum genere eſſe, quæ *Panthea* vocant; ex *Venere* ſcilicet, & *Victoriâ* conflatum. Hanc *Cupidinis* ſociam fuiſſe teſtatur *Ariſtophanes in avib.*; *ſtatim Victoria volat alis aureis*; *& utique Cupido ſimul*. Fuit igitur & *Veneris*: quantoporè autem *Populus Rom.* hujus Deæ niteretur præſidio, a quâ genus trahere ſe arbitrabatur, quove ſtudio, Duces præſertim, eam colerent, quòd ejus ope, ut putabant, terrarum orbem vincere didiciſſent, omnes norunt. Non igitur abs re fuit, ſi utramque hanc Deam complexus eodem Signo Artifex eſt, ut & gratiùs originem, & imperii felicitatem civibus gratularetur. Hæc dicta ſint exercitationis potius, quàm judicii ferendi cauſâ, quod totum Lectori relinquimus.



Greg Guglù del *Ærea T II* *Nicol Mogalli sc.*

TABULA XVIII.



Ræclarè *Lucianus*, poſtquam recenſuit quæ de Diis *Græci*, *Æpyptiique* ſentirent, quibuſque Sacrorum cæremoniis eos venerarentur, *hæc*, inquit, *cùm vera nibilominus credantur*, *& ſeria*, *poſtulare mihi videntur*, *non qui reprehendat*, *ſed vel Heraclitum potius aliquem*, *vel Democritum; quorum hic amentiam rideat*, *alter deploret inſcitiam*. *De Sacrif.* Et verò, quam rationis partem, ne dicam ſcientiæ tenuiſſe putandi ſunt, qui mortale quod erat, divinum arbitrarentur, Deoſque ex hominibus effectos priſtinis cupiditatum illecebris vellent obnoxios; ut cibo caperentur, & potu; ut rixarentur inter ſe; ut alienæ pudicitiæ non parcerent; iiſque ſe obruerent flagitiis, quæ in hominibus vindicare debuiſſent? Ac ne quis putet de Minoribus Diis intelligendum hoc eſſe, aliam verò *Jovis* (1) naturam & con-

(1) *Joves Varro* trecentos agnoſcit; nec mirum; Reges enim omnes antiquitùs *Joves* vocabantur. *Iſaac. Tzetzes in Hiſtor. var. Cicero* tres tantùm recenſet de *Nat. Deor. l.* 3.; primum, & ſecundum natos in *Arcadiâ*; alterum patre *Æthere*, alterum patre *Cœlo*; tertium *Cretenſem Saturni* filium, *cujus*, inquit, *in illâ inſulâ ſepulcrum oſtenditur*. Hic Deorum pater, rerumque omnium moderator eſt habitus, quem *Romani* deinde ſummo ſtudio coluerunt. Ac *Jovem* quidem illum, a quo hæc appellatio defluxit in reliquos, primum *Atticæ* Regem ajunt fuiſſe, qui quòd eam regionem a ferinis moribus ad humaniorem cultum deduxiſſet, traditis connubiorum legibus, & religione aliquâ invectâ haberi ipſe Deus cepit, more ab antiquis diu recepto, ut, a quibus magna beneficia accepiſſent, eos gratificarentur hoc potiſſimùm honore; ſed is, ut opinor, Rex fuit, cùm nondum culta eſſet *Attica*, & vicatim habitaretur; *Cecrops* enim primus regnavit, cùm *Athenæ* jam eſſent conſtitutæ; qui tamen relatus inter Deos non eſt, licet plura & ipſe in ſuos, nec ſanè minora beneficia contuliſſet; quare unus, & idem ac prior ille cenſeri non poteſt, præſertim cum nomen diſſentiat, & patria; *Arcas* enim ille fuit, hunc aliqui volunt *Ægyptium*. De altero *Jove* item *Arcade* nihil compertum eſt apud Veteres; quæ enim ad duos hos pertinent, ea ut plurimùm ad tertium referri video *Saturno* natum; hinc apud antiquos illa varietas, ubi is natus ſit, a quibus educatus, & alia id genus; quæ libenter prætereo, utpote nugas maximas. Illud dicam, quod ad oſtendendam Ethnicorum dementiam plurimùm valet; ante illum primum *Atticæ* Regem *Jovem* nuſquam fuiſſe, qui verò *Juppiter* habitus eſt, morte *ſublatum*. *Nos*, inquit *Lucianus*, *multis jam ſæculis fallimur*, *qui opinamur Jovem tonare*, *pluere*, *& reliqua omnia peragere*; *latuit enim nos*, *eum jam olim defunctum fuiſſe*, *& apud Cretenſes ſepultum*. Hunc recens natum a *Rheâ* ſive *Opi* matre *Corybantibus* traditum, ut procul ablegaretur; ne eo filio ſe auctum *Saturnus* perſentiſceret; is enim hac lege regnum acceperat, a *Titane* fratre natu majore, ut mares, ſi quos genuiſſet, ne Fratris liberis regnum eriperetur, ſtatim interficeret. *Corybantes*, qui & *Curetes* a *Strabone* dicuntur *lib.* 10., ſeu *Opis*, ſeu *Cibeles*, eadem enim eſt,

Sacer-

& conditionem fuiſſe; quàm piè hic *Saturnum* patrem regno expulit, & conjecit in vincula? Ubi verò potitus imperio eſt, quàm laborioſè ſummæ Reipublicæ præfuit, cùm modò aureis guttis extillaret totus, & deplueret; modò verteretur in cycnum, aut taurum, aut aquilam; non ut aliquid in commune conſuleret, ſed ut animo turpiter obſequeretur ſuo, eaque admitteret, quæ nequiſſimum homuncionem facere puduiſſet?

Sacerdotes fuerunt, quos ſibi adeſſe ea voluit, cum pareret; ut, ſi quam vocem expreſſiſſet dolor, aut puer editus in lucem vagiret, cymbalorum pulſu, & armorum, quæ collidebantur, ſonitu, nam ita ludere *Corybantum* mos erat, audiri non poſſet. Hi, puero in *Dictis* montis ſpecu abdito, cum aſſiduè de more circumſtreperent, *Saturnum* metu inde averſum deceperunt; apes contrà, ut ait *Virgil.* 4. *Georg.* illum æris tinnitum ſecutæ *Dicteo Cœli Regem pavere ſub antro*; etſi capellæ potius *Oleniæ* ab *Oleno Bœotiæ* oppido id tribuat *Aratus in Phænomen.*, & *Ovid.* 2. *Faſt.* relatæ idcircò inter ſidera; *Macro* autem *Græcus* columbis, & aquilæ; quarum illæ ambroſiam, hæc nectar e lapide collectum puero detulerunt. Ac primùm quidem cum *Juppiter* adoleviſſet, *Saturnum* patrem in cuſtodiam a *Titane* traditum, quòd filios aleret, in regnum reſtituit, a quo eumdem ipſe poſteà dejectum, ſeu quòd comperiſſet ſibi ab eo inſidias fieri, ſeu *Cretenſium* voluntate, qui *Saturnum* ferre amplius non poſſent, cepit migrare in *Italiam*. *Gigantibus* demum ſubactis, qui ſibi bellum intulerant, & Deorum conjuratione, qui in ipſum conſpiraverant, compreſsâ pacato regno, auctoque potitus eſt. Hæc ſubtiliùs ita recenſui, non quòd hujuſmodi commentis delecter; ſed quòd ſcripta mihi videantur non ad ſolam fabularum inſolentiam, verùm ad aliquam etiam *Cretenſis* hiſtoriæ fidem; nam eæ rerum viciſſitudines ſunt, turbæque tum externæ, tum domeſticæ, quas non raro legimus in hiſtoriis, & quæ in regiâ *Cretenſi* familiâ facilè contigerunt; a quibus quòd ſe prudenter hic *Juppiter* expedierit, quòd æquitate, clementiâ, virtute ſuperiores omnes Reges vicerit, & ad juſti imperii imaginem ſe penitus formaverit, fieri potuit, ut ſummâ eſſet apud omnes in laude, & pro eo more, qui tùm erat, non Deus tantùm, ſed Deorum etiam optimus haberetur, & maximus. Hæc ſimiliora veri ſunt, præſertim cùm aliquo hiſtoriæ fundamento niti fabulæ ſoleant, quàm quæ a *Mythologis* jactantur de æthere, de Sole, phyſiciſque rationibus; perinde ac ſi tralaticio nomine hanc naturæ partem ſignificare voluerint, qui *Jovem* finxerunt; ſeriùs enim inventæ allegoriæ hæ ſunt, quàm fabulæ, quas arbitror Veteres aliquot deinceps excogitaſſe; quòd eos hujuſmodi fabularum puderet, repudiare verò eas nollent, ne magno ſuo malo Deos etiam negare viderentur. Ceterùm antiquis illis temporibus, de quibus agimus, rudiores *Græci* erant, quàm ut fabulari tàm commodè poſſent, literis ad eos nondum allatis a *Cadmo Agenoris* filio, cujus ſororem *Europam Juppiter* in taurum converſus, ac perinde fabulatoribus jam notus rapuerat.

Sed quidquid ſentiendum de *Jove* ſit, quem, ut plurimùm, non ſine aquilâ illi ſacrâ pinxerunt, nec ſine fulmine, unde *Tonans*, & *Fulguriator* dictus eſt in ſcriptis lapidibus; mirùm eſt quàm latè ejus religio terras omnes pervaſerit, cultus enim totâ *Græciâ* fuit, præſertim *Piſæ* magnifico templo, & ludis *Olympicis* ab *Hercule* in ejus honorem inſtitutis; cultus eſt *Romæ* celeberrimâ Arâ in Capitolio a *Tarquinio Superbo* eidem erectâ, nec defuit in *Africâ* templum, ubi oracula ederet, ſed *Jovis Ammonis* nomine, & facie cornutâ ex *Ægyptiorum* inſtituto; apud quos inquit *Lucianus*, ut ad eum revertar, & ad *Ethnicorum* ſtultitiam; *videbis multa planè cœlo digna*; *Jovem vultu arietino, Mercurium caninâ facie, Panem totum hircum, alium Ibim, alium Crocodilum, alium Simiam.*

pag 79



Greg Giusti del — Æera T II — Fran Barbara sc

TABULA XIX.



ON novum eſt in Veterum monumentis *Cupidinem* dormientem (1) offendere; delectati enim hi non parum videntur hac quieſcentis imagine; credo, ut ſomno victum oſtenderent non ſine joco, quem Deorum fortiſſimum (2) prædicabant. Illud tamen non frequens, aliquod ex hujuſmodi Signis præſertim æreis occurrere, in quo ſummum artificium cum ſummâ elegantiâ conjunctum ſit; quod quàm bellè præſtiterit in hoc opere *Græcus* Artifex, facilè agnoſcet, qui in rupe

(1) Præter Signum *Cupidinis* dormientis marmoreum, quod eſt in hoc *Muſeo*, vidi ſymplegma item e marmore *Amorum* trium parvulorum unà quieſcentium in *Hortis Matthæiis* apud *S. Stephani in M. Cœlio*, quo nihil videtur fieri poſſe elegantius. Sed multò Anaglyphum illud præſtantius, quod eſt in magnifico ſuburbano *Alex. Card. Albani extrâ Portam Salariam*; propè enim jacentem *Cupidinem* lacerta ſculpta eſt: hæc *Græcè* **Σαῦρος** dicitur; ita verò appellabatur nobilis quidam *Græcus* ſculptor, de quo meminit *Plinius*, qui proinde beſtiolam hanc ſuis operibus tamquam nominis indicem apponere conſueverat; quemadmodum alter quidam æquè nobilis artifex *ranam*; quòd **βάτραχος** diceretur. Ceterum, ut mollius cubaret, ſi quando *Cupidini* ſomnus obreperet, non defuiſſe fabulatores videntur, qui terram herbis, & floribus eidem inſternerent; perſuaſum enim illis erat, ut notat *Gorius in Muſ. Etruſ.*, terram ipſam ſi quando delicatioribus Diis Deabuſque vel pedibus premeretur, flores ſubmittere; quò incedentibus blandiretur. Id imitatos noſtrates quoque Poetas, & Pictores video in ſacris aliquot eorum tabulis; ſed ut hos omittam; *Nilus* apud *Philoſtratum Icone V.* puerulis, quos filios agnoſcit ſuos, & qui ad immane ejus corpus undecumque aſſiliunt, ut videri poteſt in Statuâ *Nili Vaticanâ*, quam edidit *Oiſellius*, *flores tàm e pectore, quàm ex ulnarum medio emittit; ut corollas ex eis intexant, floribuſque indormiant*; & *Icone VI.* Amores ludunt in horto arboribus pomiferis conſito; *curricula verò*, ſive ſpatia, ubi ſe exerceant, *tenera occupat herba, quæ, ſi quis ex eis procubuerit, lectum quoque præbeat*. Neque verò, ut opinor, ab hoc figmento abludit *Virgilius* 1. *Æneid.* apud quem *Venus Aſcanium*, ut ad *Didonem* fallendam *Cupido* ejus loco veniret, ſopore immiſſo *tollit in altos Idaliæ lucos*, maternam ſcilicet *Cupidinis* ſedem, *ubi mollis amaracus illum Floribus, & dulci adſpirans complectitur umbrâ*; non enim arbitror *Venerem* pluris *Aſcanium* feciſſe, quàm filium; ut molliori ſtrato illum acciperet; ſed potius *Virgilium*, cum de amaraco meminit, aliiſque ſomni blandimentis, de *Cupidine* cogitaſſe, ac proinde, quæ Poetæ huic adſcribunt, *Aſcanio* tribuiſſe. Quamquam aliquanto duriùs Artifex in hoc Signo, ut elegantiæ ſerviret potius, quàm fabulis, videtur egiſſe cum *Cupidine*, quem in horridulo ſcopulo, aut aſpero, ſi quis ita velit, terræ tumulo recumbentem voluit, non ſine ſubjecto prius ſtragulo; ut aliqua tamen ab eo habita *Cupidinis* ratio videretur.

(2) *Cupidinem Plato* inter Deos antiquiſſimos retulit *in Sympoſ.*, quoniam *parentes ejus*, inquit, *neque ſunt, nec a quoquam dicuntur fuiſſe*. Contra *Heſiodus in Theogon.*, e *Chao* genitum illum putat; nam ſi, ut opinatur *Empedocles*, *Cupidinis* nomine nihil aliud oportet intelligi, quàm *vim ſimilium*, quæ naturæ ductu quodam moventur, ut ſimul coaleſcant; hæc certè oſtendi in rudi illâ, confuſâque rerum congerie maximè debuit; cum partes ſingulæ ea, quæ contraria ſibi eſſent, refugerent; quæ verò apta, & conformia, conciliare ſibi invicem, & adjungere niterentur. Id ipſum videtur *Maro* ſenſiſſe, cum *Clymenem* in cœtu *Nimpharum* inducit 4. *Georg.* Deorum amores narrantem jam inde ab ipſo *Chao*: cum enim plura ſimilium genera ſint; non unam eorum vim, ſed multiplicem eſſe oportuit, ac proinde *Amores* plures, qui & ipſi in Deorum numero eſſent, & Diis reliquis dominarentur. Quamquam hac *Empedoclis*, & *Heſiodi* ſententia deinde rejectâ in alia omnia Poetæ abjerunt, omnique *Amorum* turbâ ad unum redactâ *Cupidinem* tam varios illi parentes tribuerunt; ut in priſtinum *Chaos* vel nolentes retruſerint; hunc enim

rupe leniter acclini, & linteo inſtratâ jacentem *Cupidinem* videat capite ſupra dexterum brachium rejecto, aliſque poſt tergum ſcitè contractis, corpore verò tam affabrè reſupinato; ut & poſitus formam oſtentet, & Signum inanime non jam ab arte, ſed a naturâ ipsâ conſopitum videatur.

enim *Simonides Veneris*, & *Martis* filium ait fuiſſe; licet hunc *Cicero* 3. *de Nat. Deor. Anterotem* vocet, ſeu *Amorem alteri Amori repugnantem*; *Alcæus Contentionis*, & *Zephiri*; *Acuſilaus Noctis*, & *Ætheris*; *Sappho Cæli*, & *Terræ*; *Ariſtophanes* demum *in Avibus* ex ovo quodam, quod *Zephirium* dixerunt, & quod *Nox* pepererat, natum mavult *Cupidinem*, ex quo poſtea, & *Chao* Dii reliqui omnes in lucem emerſerint. Sed miſſa libenter facio hæc Poetarum deliria; ut enim rectè monet Herum adoleſcentem in re non ita diſſimili apud *Terentium Parmeno in Eunucho Act.* 1. *ſec.* 1. *Incerta hæc ſi tu poſtules ratione certa facere; nihilo plus agas, quàm ſi des operam; ut cum ratione inſanias*. Unum addam, quod intelligo, pleroſque ſenſiſſe, natum *Cupidinem* matre *Venere*; incertum quo patre; tantâ verò potentiâ fuiſſe; ut omnium rerum teneret imperium. Eleganter id *Philippus* oſtendit Poeta *Græcus* apud *Natal. Comit.*: *Deprædato cælo Amores* (refer hoc ex dictis ad ſolum *Cupidinem*) *Deorum ſpoliis, & inſignibus ornati ſuperbiunt. Geſtant arcum Phœbi, fulmen Jovis, Martis haſtam, & galeam, & Herculis clavam, Neptuni quoque tridentem, & thyrſum Bacchi, talaria Mercurii, facem Dianæ. Non itaque recuſent homines cedere jaculis Amorum, quibus Dii ſua ceſſerunt arma, & inſignia*. Neque verò, ſi tralaticiis *Cupido* hiſce gaudet ornatibus, propriis caret, quibus illum inſignivit Antiquitas; Arcum enim hæc, & pharetram, ut quæ ab ipſo fierent, & quomodò, explicatius oſtenderet, facem quoque, & Alas appoſuit; quæ quidem adjecta, præcipuè verò Alas vehementer improbat *Eubulus in Campylione*; ait enim; *Quicumque fuit, qui primus pinxit, aut cerâ compoſuit Cupidinem alatum, ſolas hic norat hirundines pingere; ignorabat autem Dei hujus mores*. Neque verò ea vis animi, quæ fertur in bonum, indiget his adjumentis; ut, quæ ſit intelligatur; quæ quidem ſi in verum bonum tendat, eique adhæreat, *Cupido cæleſtis a Platone* dicitur; ſin autem ſecus, *vulgaris*, ex quo utpote cæco, & puero tanta ſemper flagitia, & incommoda in hominum genus derivarunt.



Greg Guasti del. — Ærea T II — Fran. Barbazza .

TABULA XX.



Uod in anni temporibus ver eſt, id in hominum vitâ pueritiam eſſe dixerim. Læta utrobique omnia, & ſpei plena; quod attinet vel ad frugum ubertatem, vel ad virtutis incrementum. Hæc autem duo ne intercidant, alienâ præſertim injuriâ, quàm providè Natura conſuluit! Ut enim flores, ubi eruperint, ne frigore affligantur, aut pluviis, *Favonio* concredit, & *Zephiro;* ita quòd imbecilla puerorum eſt ætas, & aliorum auxilio maximè indigens, venuſtate quâdam oris, & feſtivâ bonitate honeſtatos commendat majoribus natu, ut benevolè animati erga eos ſint, & ad opem ferendam non ſegnes [1]. Quamquam latius aliquanto patere hanc in nobis naturæ vim ſentio; cum, ut floribus, ita & pueris in pictis etiam tabulis, & in reliquis arte

(1) In puerorum ſimulacris hunc morem antiquitus ſervatum animadvertimus, ut duo cincinni, ſeù capillorum plexus utrinque aſſurgentes ſupra frontem emineant, & coaleſcant inter ſe. Multa ex his marmorea, vel ærea ad noſtram ætatem pervènerunt; ſed quæ probentur, admodùm pauca: neque verò artificum id imperitiæ, aut negligentiæ penitus tribuendum exiſtimo; etſi ne tum quidem defuerint, qui ita bonis artibus abuterentur. Cum autem tantâ in laude fuerit *Athenis Cupido* a *Zeuſi* pictus, & roſis coronatus, ne artis quidem ipſius vitio, quaſi nondum perfecta adhuc eſſet, id dari oportet; ſed præterquàmquod non omnium ætatum eſt artifices ſummos progignere, bonæque etiam artes vices ſuas habent, & aliquando obſoleſcunt; aliquam ſubſtinere culpæ hujus partem videtur ipſa corporum puerilium conditio, quæ cùm ſucco plena ſint, & ſubturgida, membrorum compagem, & formam adipali illo auctu non parùm obtegunt, & invertunt; ex quo factum ſuſpicor, ut priſcis etiam temporibus, quoniam anatome carerent, nonniſi ſolertes, & magno uſu exercitati naturæ leges in corporibus, & ſymmetriam condiſcerent.

Non unâ ſemper, eâdemque materiâ, quâ Signa conſtabant, præſertim ærea, fingi eis oculos mos olim fuit; ſed aliquando aut ex chriſtallo montanâ, aut ex argento, aut aliâ etiam materiâ, gemmâ tamen aliquâ adjectâ, quæ pupillæ loco eſſet. Quæſita hoc invento nova quædam Simulacris ſpecies, & dignitas fuit; ut, quoniam ex oculis maximè prodere ſe in hominibus animi ſolent, eâ quoque emiſſione radiorum, & lucis tamquam animata viderentur. Quod de gemmâ dixi; non ita accipi volo, ut de colorato etiam vitro intelligi non poſſit. Caput unius ex *Muſis* æreum juſtæ magnitudinis eſt apud nos cavis oculorum patentibus, prolapſi enim hi ſunt, ſeu fuerint ex gemmâ, ſeu vitrei. In hoc Pueri Signo ex argenteo oculorum circulo pupillæ exciderunt; caſu accidere, virorumque vel furto potuit; ſed erodi etiam, præſertim pupilla, & abſumi potuit, ſi ex vitro fuit: nec enim tantum apud Veteres gemmarum copiam fuiſſe arbitror, ut has in hujuſmodi operâ vellent ſemper impendere, aut damnum facere in eiſdem elimandis, quò aptiùs cavis oculorum inſererentur. Quandoquidem de pupillâ ſermo eſt, non omittam hoc loco, quod, etſi parergon ſit, erit fortaſſe ſcitu non inutile; audivi enim non ſemel de familiari quodam meo inter eos ſermones, quos de antiquitatis ſtudio habe-

arte perfectis operibus locum eſſe non minimum volumus; qui mos ab Antiquis acceptus, ut docemur hac *Tabulâ*, viget adhuc, vigebitque, dum erimus; delectamur enim florum adſpectu, & eorum cùm varietate, tùm formâ ad hilaritatem provocamur; nec minus movemur, cum puerilis ille candor animi, & morum ſimplicitas coloribus adumbrata, vel quovis alio modo nobis obverſatur ante oculos. Quare hanc equidem ætatem nulli ſecundam ducerem; ſi aut ſapere ipſa per ſe poſſet, aut obtemperare rectè præcipientibus vellet.

habebamus, cùm diceret, in ſpuriorum numero habendos eos nummos eſſe, quorum quæ præcipua figura eſſet, vel protome, oculorum pupillâ careret. Idem ajebat cenſendum de Signis, & Statuis. Movit me quidem primò ejus oratio, erat enim homo in his rebus non parum verſatus; ſed poſtquàm in inſpiciendis Antiquorum monumentis cepi de re totâ diligentiùs inquirere, ita dividendam illius ſententiam putavi; ut, quatenus de nummis diceret, libenter id ei darem, in probatis enim nummis nullum adhuc exemplum hujus generis reperi; de Signis verò, & Statuis, aſſentiri non poſſem. In *Muſeo Capitolino* Protomæ, & Statuæ viſuntur ſanè quamplurimæ, quarum in oculis veſtigium pupillæ nullum apparet; neque tamen quemquam puto repertum iri tam fatuum, qui tantam mirificæ illius collectionis partem adulterinam ſuſpicetur. Quare cautè opinor utendum hac regulâ, nec minora Signa ærea temerè rejicienda eſſe, quòd aliquando in his, etſi raro, pupillæ defectus deprehendatur, ſi non alia acceſſerint fraudis indicia.

Quoniam verò, ut ad propoſitum redeam, Statuas ita adornandi oculorum inſitione uſus frequens invaluerat, non defuerunt certi homines, qui in hoc artificio omnem ſuam operam ponerent. Habemus ex epigraphe, quam refert *Bonarotius in Præf. ad Numiſmata majoris moduli pag.* 12.

M. RAPILIUS. SERAPIO. HIC
AB. ARA. MARMOREA.
OCULOS. REPOSUIT. STATUIS.
QUA. AD. VIXIT. BENE.

ubi legitur *Qua*, corrige *Quo*; nihil autem tam frequens, quàm menda in epigraphis.

Geſtus, & habitudo corporis aliquid hunc Puerum olim geſtaſſe videtur oſtendere; quid autem putem aliud, quàm calathum pomorum, aut florum? In Anaglypho hujus *Muſei* marmoreo, in quo mulieres duæ velatæ, reclinatæque Hyemis perſonam, & Veris ſubſtinent, Puer ante alteram adſtat florum calatho onuſtus; ad alteram alius item Puer ciſtulam affert anatarum plenam, tamquam Hyemis indicium, & ſymbolum. Puellas quoque ad hæc, & alia hujuſmodi miniſteria adhibitas reperies in nummis maximi moduli *Commodi, & Treboniani Augg. Tom. I. Muſei Florent.*



Greg [illegible] del — *Ærea T·II·* — Nicol Mogalli sc

TABULA XXI.



QUinque numerantur a *Cicerone* 3. *de Nat. Deor. Mercurii*, quorum tamen omnium res geſtas ad unum referri video *Jove*, & *Majâ* genitum; ut enim qui animo præſtarent, & robore *Hercules* vocavit Antiquitas; ita *Mercurii* nomine appellandos eos cenſuit, qui ingenio, & ſapientiâ ceteros antecellerent. Huic igitur *Majæ* filio ex reliquis (1) *Mercuriis* conflato quidquid effici doctrinâ potuit, aut excogitari conſilio (2), eidem tribuit; homines enim ad humanitatem facundiâ traductos primus fertur docuiſſe, quo ritu Deos venerarentur, iiſdemque palæſtrâ, ad ſe contra hoſtes tuendos, inſtitutis ſiderum curſum monſtraſſe, ne in mercaturâ facien-

(1) Qui *Argum* interemit, & ob id *Ægypto* præfuit quinctum *Cicero* vocat *Mercurium*. Hunc leges ait, & literas *Ægyptiis* tradidiſſe; addit *Strabo* 17. *Geograph.*, & *Manilius* 1. *Aſtronom.* rerum quoque naturalium cauſam, Deorumque religionem, & ritus ſacrorum. Eum proinde ipſe arbitror, quem *Lactantius de falſ. relig.* numeratum ſcribit a *Mercurio Triſmegiſto* inter Cynicos, in quibus opinabatur ſummam fuiſſe ſapientiam. Id cenſui admonendum, ut quod de perturbatâ ab Antiquis *Mercuriorum* hiſtoriâ ſuperius attigi, faciliùs intelligi poſſet; quæ enim quincti *Mercurii* propria ſunt, in tertium, ſeu in *Majâ* genitum conferunt.

(2) Hunc Veteres Deorum nuncium interdiu, noctu verò in deducendis ad *Plutonem* mortuorum animis ducem eſſe voluerunt. Rectè id quidem; Sapientis enim eſt legationes obire; quemadmodum & aſſidere concionibus, judiciiſque, & paleſtræ præeſſe, & oratores inſtruere, & pacis fœdera componere; quæ legitima quædam ad hujus Dei curas fuit acceſſio. Verùm, quod ipſe idem cum *Majâ* conqueritur, etiamnè ſternenda primo mane ei curia fuerit, ubi Dii conſilia ineunt; verrendum cænaculum, in quo compotant; omnia denique curanda, quæ ſolent mancipia? Ita profectò; ne plagas etiam ab *Jove*, ſi ceſſarit, accipiat; concurſandum enim ſine mora ipſi eſt totum diem cum *Jovis* mandatis: opinor tamen, aut ad *Priamum*, ut *Hectoris* corpus repetat ab *Achille*, aut ad *Æneam*, ut relictâ *Carthagine* naviget in *Italiam*. Non, inquit; ſed ut *Sidonem* ad *Cadmi* filiam excurram viſurus, quid agat; aut, cùm reverſus inde ſim, adhuc anhelitum ducens ableger *Argos* ad *Danaem*, quâ conventâ abi, ait in *Bœotiam*, & obiter *Antiopam* viſita. Equidem, ſi quo modo poſſem, facerem, quod ſervi ſolent, ut fugerem. *Lucian. in Dial.* Enimverò ſi ridicula prima illa ſunt, quid his legationibus propudioſius *Jovi*, & *Mercurio*. Neque tamen, quæ ſuperſunt, leviora. Mitto inquinatos mores, quos Diis affingere fabulatores ſolebant, ut ſibi peccare impuniùs liceret; quid de furtis dicam, quibus aſſuevit a puero? Nam & *Neptuno* tridentem, *Marti* gladium, *Jovi* ſceptrum, *Veneri* cingulum, forcipem denique *Vulcano* ſurripuit, cui hæc *Apollo* narrat apud *Lucian.*, ſpoliatus & ipſe a fure illo maximo arcu, & ſagittis. Quare *Homerus in Hymn.* ita *Mercurium* compellat: *Feres honorem hunc apud Deos, ut perpetuò voceris latronum Princeps*. Hæc cum de eo fama eſſet, non ſatis intelligo quo conſilio illum Veteres ad ædium januam ſtatuerent, ut fures abigeret; quem enim, quæſo, apponebant alium, qui domum ab hoc cuſtode tueretur? Quæ adhuc recenſuimus, quàm abſint a ſapientiæ laude, aut a recto ingenii uſu, omnes animadvertunt; itaque, quonam modo defenſuri iſta ſint, qui fabulas ſapientiæ neſcio cujus plenas eſſe autumant, eiſque ſublime quiddam, & reconditum allinunt, equidem non reperio; habeant hi ſibi tam periculoſam ſapientiam, quæ adeo familiaris improbitati eſſe poteſt.

faciendâ temerè ſe mari committerent; bonas demum artes reliquas tradidiſſe, muſicem [3] quoque, ut haberent & curarum levamen aliquod, & vitæ ſubſidia, & incrementa dignitatis. Itaque *Orpheus de Gemmis* multa paucis complexus; *ſi cui*, inquit, *prudens animus ſuaſit, ut adeat peramabilem Mercurii domum, ubi ille bona omnia congeſſit; is celeriter ambabus manibus multa commoda auferens domum revertitur lacrymabilem vitans ærumnam*. Fictâ hac *Mercurii* perſonâ ingenium cum doctrinâ conjunctum Poetæ ſignificant; quanta verò utriuſque vis ſit, & utilitas dum conantur oſtendere, credo, quò ad hujus tam præclaræ complexionis ſtudium nos provocent, tam multa miſcuerunt, non abſona tantùm, ſed etiam nefaria, ut illud omnibus perſuaſerint, nihil fermè ab ipſis doceri poſteros poſſe, quod ſit ab improbitate ſejunctum; nec magni faciendum ullius ingenium eſſe, aut doctrinam, qui licet utrâque re valeat, nequam tamen ſit, & perditis moribus.

(3) Tres fidium ſpecies, acutam, gravem, & mediam inveniſſe *Mercurium* ajunt; id opinor ad lyram referri, cujus repertorem illum faciunt; è dorſo enim teſtudinis quatuor chordas ſuſpendiſſe dicitur, aut fila linea, puerorum inſtar noſtratium, cum Symphoniacorum inſtrumenta imitantur. De eâ ita *Apollo* apud *Lucian.* loquens de *Mercurio*: *Septem chordis ſuſpenſis, & intentis* (in teſtudinis illo oſſe) *jucundum adeo quiddam, & concinnum modulatur, ut ego quoque illi invideam*. En igitur tetrachordos lyra priùs fuit, ut quidam ajunt; nec tres illi chordas *Apollo* adjecit, ſed eptachordon accepit a *Mercurio* pro bobus ſibi ſubreptis; nec illum remuneratus Caduceo eſt, ut alii volunt; hæc enim inquit de *Mercurio in eod. dial. Virgam ſibi comparavit mirificam poteſtatem, & vim habentem; quâ animas evocat, & educit mortuos*. Quin eam *Vulcanus in eod. dial.* ſe illi fatetur dediſſe; niſi forte aliam *Apollo Mercurio* donavit ad placandos diſcordium animos, quam vulgò alatam, & duobus in apice cinctam colubris mutuò ſe reſpicientibus videmus, aliam ad coercendam animarum turbam *Vulcanus*; quod tamen non puto. Præter Caduceum aliæ ſunt *Mercurii* notæ Petaſus, & Talaria; hæc alati inſtar calcei pedibus adjecta, cum volatu opus fuit; ille capitis tegumen, item alatum. *Ego*, inquit *Mercurius in Plaut. Amphitr. has habebo uſque in petaſo pinnulas*. Hic tamen galerus, qui ceteroqui communis hominibus fuit, nec formâ eâdem ſemper eſt, nec raró alis caret in Veterum monumentis, & nummis. Alas autem appoſitas arbitror ex *Etruſcorum* inſtituto tamquam divinitatis indicium, aut ad celeres ingenii motus indicandos, potius quàm ad volatum. Omitto Gallum, qui aliquando, ut vigilantiæ ſignum, *Mercurio* adſtat; aut Caprum, quem, quia hic gregibus paſcendis præerat, præclaro opere anaglypho videmus propè *Mercurium* in Ædibus *Barberinis*; notæ enim hæ, ſi propriè loquamur, non ſunt, & raró occurrunt. Idem dico de paterâ, quam manu protensâ tenet Signum hoc noſtrum ſanè perelegans; adjecta enim hæc eſt, vel quia *Mercurius* Sacrorum ritus tradiderat, ut ſuperiùs dictum eſt, vel ex veteri more præſertim *Etruſcorum*; pateras autem Dii ferebant, non quòd ipſi aliis Diis libarent; ſed ut libationes acciperent homines, quæ de ſuo ergà Deos officio commonefacerent. Præter alia, docent nos de hoc more furta *Dionyſii Tyranni*, qui cum pateras aureas e Deorum manibus auferret in Fanis, *ſtultitiam*, ajebat, *eſſe, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus, & dantibus nolle accipere*. *Cic. de Nat. Deor. lib.* 1. Quod ſiniſtrâ manu gerit Signum hoc noſtrum *Eridis* pomum eſſe arbitror, quod *Mercurius Jovis* imperio detulit ad *Paridem*, ut pulchriori adjudicaret. Vide *Tom. I. Pater.* 17.



Greg. [illegible] del. — Ærea T.II — Nicol. Mogalli sc.

TABULA XXII.



EX tanto Deorum numero, quos Ethnici coluerunt, alium opinor eſſe neminem, cui tot nomina, quot *Baccho* (1) facta olim ſint; nam & *Liber* dictus eſt, & *Dionyſius*, *Bromius* item, & *Lenæus*, *Bimater*, *Baſſareus*, *Oſiris* & ſi quæ ſunt alia præterea, quorum libentius obliviſci malo, quàm meminiſſe. Ac licet apud *Ægyptios* non primarum partium Deus hic fuerit, ſed tertiarum; ſerò autem de eo *Græci* audierint; ut teſtatur *Herodot. in Euterp.*, tam multa hi tamen de eodem com-

(1) *Bacchum Jove*, & *Semele Cadmi* filiâ natum ait *Euripides in Bacch.*, aliique. Hic, cum *Semele* conflagraſſet, quòd *Jovem* ad ſe, qualis ad *Junonem* accederet, venire voluiſſet; *Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo Eripitur, patrioque tener, ſi credere dignum eſt, Inſuitur femori, maternaque tempora complet. Ovid. 3. Metam.* Idcirco *Bimater* dictus; quo quid fingi dementius, aut tam ridiculum potuit? Nec minoris ſtultitiæ eſt, quod *Nonius in Dionyſ.* tradit, *Jovem* claudicaſſe; quamdiu onus hoc tulit; *claudum* autem *Syracuſanâ* linguâ *Nyſum* dici, ac proinde a patre ad filium hoc nomine translato *Bacchum* appellatum eſſe *Dionyſum*. Ceterum *Nymphas* hunc nutrices habuiſſe conſtans eſt Poetarum opinio; ſive *Horæ* illæ vocandæ ſint, ut ſcribit *Demaratus 9. Dionyſiac.*, ſive *Hyades*, quæ relatæ ob id in ſtellarum numerum fuerint; ut ait *Apollonius l. 3.* In vaſis anaglypho, quod refert *Sponius*, & *Montfauconius l. 2. Tab. 142. Bacchum* infantem *Mercurius* non ſine *Baccharum*, & *Faunorum* comitatu *Nymphæ* tradit aſſidenti: hanc *Leucotheam* putat *Sponius* ex *Oppiano in Cyneget.*, & ex *Ovid. 3. Metam.* ubi ait: *Furtim illum primis Ino matertera cunis Educat, inde datum Nymphæ Nyſeides antris Occuluere ſuis, lactiſque alimenta dedere. Ino* autem eadem eſt ac *Leucothea*. Conſentit de *Nyſâ*, quæ *Arabiæ* urbs fuit, *Homerus in Hymn.*; quamvis altum eum putet *Orpheus* in *Ægypto*; *Pauſanias* ex *Patrenſium* ſermone *Meſati* in ejus regionis oppido; alii in inſula *Naxo*; *Sidonius* demum *Antipater*, *Plutarchus* in *Lyſandro*, *Lucianus* in *Conc. Deorum Thebis*; licet id apertè neget *Homerus ibid.* Propter hanc opinionum varietatem, atque adeo etiam genitorum non unum eſſe *Bacchum* antiquitas credidit. *Cic. 3. de nat. Deor.*: *Dionyſos*, inquit, *multos habemus primum e Jove, & Proſerpinâ natum; ſecundum Nilo, qui Nyſam dicitur interemiſſe; tertium Caprio patre, eumque regem Aſiæ præfuiſſe dicunt, cujus Sebatea ſunt inſtituta; quartum Jove, & Lunâ, cui ſacra Orphica putantur confici; quintum Niſo natum, & Theone, a quo Trieterides conſtitutæ putantur.* De *Baccho Jovis*, & *Semeles* filio non meminit *Cicero*, ideo fortaſſe; quòd hunc *Ægyptii* ſuppoſitum arbitrarentur ab *Orpheo*, qui *Semeles* filium ex incerto patre commentus eſt *Jove* genitum, & *Thebis* natum in ejus urbis gratiam, & gentis *Cadmeæ*. Ceterum hæc ſupra reliquas invaluit opinio; ut qui deinde ſcripſerunt, ad hunc unum referant omnia, quæ de *Baccho* tradita ſunt. *Natal. de Comit. Myth. l. 5.*

Jam verò hunc ſemper juvenem ajunt fuiſſe; etſi *Elienſes* barbatum maluerint. *Pauſan. in Eliac. prior.* Nebride ſuper humerum temerè rejectâ, hederâque coronatum oſtentant, aut uvarum racemis; quòd vini inventorem autument; licet id de *Noemo* ſacræ literæ apertè teſtentur; curru præterea vectum a tygribus, aut lyncibus, magnâ illum ſtipante inſanientium mulierum, aut ſatyrorum catervâ. Quàm propudioſus verò Deus fuerit (id autem ſecuti ſemper Ethnici ſunt, ut Deos haberent, quorum corruptos mores impunè imitarentur) docet *Juno* apud *Lucian. in dial.*: *Puderet me quidem*, inquit, *o Juppiner; ſi talem filium haberem adeo effœminatum, & ebrioſum, crinibus mitrâ præcinctis, molliorem iis ipſis, cum quibus ſaltat inter tympana, & tibias, & cymbala, & curvis potius ſimilem, quàm Tibi patri.* Hunc *Juppiter* blandè excuſat; credo; ne ſibi vitio darentur, quæ obiici meritò potuiſſent, commemoratis expeditionibus bellicis,

commenti ſunt, eaque tam abſona; ut, dum ornare *Bacchum* volunt, & mira quædam de illo dicere, & ipſum dehoneſtent, & ſe de mentis ſtatu dejectos propè fateantur.

cis, & victoriis, quibus *Bacchus* magnam terrarum partem, atque *Indos* ipſos ſubegerat. Hæc in *Caprium Aſiæ* Regem, de quo *Cicero*, cadere ſuſpicor, aut in *Oſirim* Regem *Ægyptium*, qui multas imperio ſuo regiones adjunxit, & cujus ſacra *Græcus Orpheus* vulgavit; fieri autem ob id potuit, ut *Bacchus* ab illo excogitatus unus, & idem, ac Oſiris apud eoſdem haberetur.

Multa huic in *Græciâ*, & alibi erecta Templa ſunt; multa quoque ſacra inſtituta, præſertim apud *Athenienſes*, *Lenæa* vere ineunte, cùm vina purgarentur; *Canephoria*, in quibus a virginibus caniſtri ferebantur fructuum repleti primitiis teſte *Demarato in Certam. Dionyſiac. Apaturia*; quòd Athenienſes Dionyſii fraude, ut creditum fuit, *Bæotios* viciſſent. *Chericles in Cat.*; poſtremò, ut alia omittam, quæ minora ſunt; *Aſcolia* ex *Tzetze in Heſiod.*, quæ etiam a *Latinis* celebrata diſcimus ex *Virg. 2. Georg.* Nam cum dixiſſet de ſaltatione joci causâ ſuper utres inflatos, & unctos, quæ fiebat ab *Athenienſibus*, ſtatim ſubdit; *Nec non Auſonii, Trojâ gens miſſa, coloni Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto, Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis, Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique Oſcilla ex altâ ſuſpendunt mollia pinu.* Habes ex his rudimenta *Bacchanaliorum*, quæ poſtea invaluerunt.



Ercol. inciſ. del. *Ærea T. II* Nicol. Mogalli ſc.

INDEX TABULARUM
TOMI II.

FINIS.

